

BALTICUS (Martinus)

I POEMATA (1859 vers)
II EPIGRAMMATA (313 vers)

(Le texte proposé ici à pour base celui de l'édition de 1560, chez Philippus Ulhard, à Augsbourg.)

POEMATUM MARTINI BALTICI MONACENSIS LIBRI TRES,
SCRIPTI AD NOBILISSIMUM AC VIRTUTE INSIGNEM D. GEORGIUM à GUMPENPERG,
ILLUSTRISSIMI BOIORUM PRINCIPIS ALBERTI à CAMERAE CONSILIO.

ADDITUS EST ET EPIGRAMMATUM LIBELLUS EODEM AUCTORE.

I

POEMATUM MARTINI BALTICI MONACENSIS LIBRI TRES
AD D. GEORGIUM A GUMPENPERG,

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I. AD LIBRUM.

P1_01 v.1 Quid procul e gremio Domini juvat ire libelle ?
2 Aut quid in assuetos cogit adire lares ?
3 Qui cupit in nitidas procedere luminis auras,
4 quo placeat cultum debet habere liber.
5 At neque de Tyrio te murice vestit amictus,
6 nec tibi frons levi pumice glabra nitet.
7 Nec decet ut de te promittas magna legenti,
8 ne tibi pro gazis anthracas esse ferat.
9 Heu quoties nostras aedes fugisse dolebis,
10 heu sed erit serus, major ob idque dolor.
11 Scilicet aut in te sua texet aranea fila,
12 sedabitve suam livida blatta famem :
13 sive suos emptum te conglomerabit in usus
14 institor, et fies cistula parva croco.
15 Nostra ferunt nimium deteras saecula nares,
16 hinc raro sordes, scommata saepe fluunt.
17 In te torquebunt enes convicia mille,
18 nec non longaevi turba verenda senes.
19 Teque parum dicent procedere passibus aequis,
20 pro nervis naevos corpus habere tuum.
21 Forte trahent ronchos, naso et tua crimina pingent,
22 tardipedi tradent te quoque forte deo.
23 Ante satis tales (dicent) existere libros,

24 criminibus populo nil opus esse tuis.
 25 Fallor ? An insignem te heredis habere patronum ?
 26 Inde minus metuens haec mala pectus habes.
 27 Quem bonus Antistes clemente favore tuetur,
 28 is perferre potest tristia cuncta liber.
 29 Nempe dat et genium libro, nomenque perenne,
 30 quem fovet insignis gratia prona viri.
 31 Quam quoniam speras te forsan posse mereri,
 32 paene tibi coeptas non inhibebo vias.
 33 Vade liber, quo te pellexit tanta cupido,
 34 hinc dextro felix alite vade liber.
 35 Ingeniis hominum subsunt discrimina mille,
 36 judicium raro est nempe duobus idem.
 37 Res eadem laudatur ab his, culpatur ab illis,
 38 displicuisse potest, et placuisse liber.
 39 Utque fluit cuivis sua vati propria vena,
 40 judicium quivis sci quoque lector habet.
 41 Huic faciles versus, nullo natiq̄ labore,
 42 formati morso nec bene ab ungue placent.
 43 Ast alius studio scriptos laudabit et arte,
 44 hic grandem venam laudat, at ille levem ;
 45 huic crudele magis, magis illi mite probatur,
 46 quodque alius culpat, qui probet alter erit.
 47 Denique vix ulli scripserunt carmina vates,
 48 quin ea pars culpet, pars quoque justa probet.
 49 Forsan erunt humilis, quibus et tua vena placebit,
 50 interdum parvis gratia rebus inest.
 51 Magna tonent quibus hoc donatum munere divum,
 52 et pulsent grandi sidus utrumque sono.
 53 At tibi sufficiat demissum repere terra,
 54 et paucis aliqua parte placere viris.
 55 Heros nobilium de stemmate natus avorum
 56 Gumpenpergiacae fama decusque domus :
 57 non virtute minus laudis quam stirpe meretur,
 58 pectoris et geminat nobilitate genus.
 59 Hoc celebris gaudet Boiorum principis aula,
 60 nam tenet ingenio vix meliore virum.
 61 Despectas alius vix tantum diligit artes,
 62 ac studiis adamat corda dicata bonis.
 63 Hoc ego cognovi, si fas exempla referre,
 64 certior in rebus non semel ipse meis.
 65 Hunc adeas, unique liber placuisse labora,
 66 spes, puto, non fallax, qua modo fidis, erit.
 67 Ille tibi defensor erit, nec paupere cultu
 68 ad varias mundi te sinet ire plagas.
 69 Quoque cares geminum dabit illius tibi virtus,
 70 is tibi erit fama, fama decusque sua.
 71 Si quando requiem fesso dabit ille labori,
 72 qua potes oblecta tum ratione virum.
 73 Scilicet ipse viro poteris bona commoda ferre,
 74 illius curas attenuando graves.
 75 Quin modo qui teneris huic crescit natus ab annis
 76 ille potest opera doctior esse tua.
 77 Huic eris ad studium scribendi carminis auctor,
 78 adque bonas artes non leve calcar eris.
 79 Turbaque nobilium res quando sequetur inanes,

80 et perdet tempus lusibus omne suis :
 81 ipse sibi versu nomenque decusque parabit,
 82 grata nec his studiis res erit illa magis.
 83 Scilicet ingenua qui tempus ponit in arte,
 84 quique fugit luxum nobilis ille vir est :
 85 non qui cepit opes partas sudore parentum
 86 divitis et nusquam munera mentis habet.

AD NOBILISSIMUM VIRUM FLORIANUM GRUESPECK,
 ILLUSTRISSIMI REGIS BOHEMIAE CONSILIARIUM.

ELEGIA II.

P1_02 v.1 Concava de celsa cum bucina turre sonaret,
 2 inclite vir reditus nuntia certa tui :
 3 qua videt excelsam vicina Neapolis arcem,
 4 diximus, huc cursus Lesbia tende tuos.
 5 Lesbia quae nostris semper conatibus instas,
 6 Lesbia Pieriis addita Musa novem.
 7 Quid ferus algentes horror sic concutit artus ?
 8 An pedibus vitium cernis inesse tuis ?
 9 An caput affixum saevi quod cernitur ursi ?
 10 Aspicio quoties me quoque monstra movent :
 11 non ego demiror, neque cuiquam mira videntur,
 12 si timet indomitam virgo repulsa feram.
 13 Non ita prisca suos ornabat Roma triumphos,
 14 picta nec Alphonsi janua talis erat.
 15 At puto quottidie, quod nunc ignobile vulgus
 16 degeneret, monstrum significare ferum.
 17 Non meritum praestat superis reverenter honorem,
 18 nonque suo superi quos statuere loco.
 19 Propterea reprobos jussi ducis ira coercet,
 20 ni faceret justis non foret orbe locus.
 21 Terret ab his igitur sceleratos labe piandae
 22 sedibus, at justos introiisse jubet.
 23 Quare age deposita portam formidine pulsa.
 24 Non erit ad motos janua surda sonos.
 25 Veneris in mediae postquam penetralia sedis,
 26 abdita cunctorum quaelibet ora nota.
 27 Egregium pietate virum belloque potentem
 28 in medio donec videris esse choro.
 29 Utque notes lucet velut inter sidera luna,
 30 sicut in occiduae Parrhasidesque micant.
 31 Florius huic nomen divina industria fecit,
 32 scilicet hoc artes auspice nomen habent.
 33 Huic, ubi jam fuerit coram data copia fandi,
 34 talibus ipse velim congregiare modis.
 35 Gratulor incolumen nostros tetigisse penates,
 36 facta vir o verae nobilitatis habens.
 37 Si minimis patulas adhibere fideliter aures
 38 est mos supremi consiliumque Dei :
 39 quae mihi causa viae paucis adverte docebo,
 40 non facient longas carmina nostra moras.
 41 Divitiis confisa Rhodos, ac moenibus altis,

42 Carpathium late quam mare cingit aquis :
 43 despexit Macedum quondam temeraria regem,
 44 contulit adverso suppetiasque duci.
 45 Protinus ingenti Demetrius aestuat ira,
 46 (rex Macedum tali nomine dictus erat.)
 47 Aestuat approperans multis cum navibus urbi,
 48 innumeroque statim milite cingit eam.
 49 Urbs est facta nihil plane mansuetior inde,
 50 asperior multo quam fuit ante, fuit.
 51 Nam reddenda fuit Regi pretiosa supellex,
 52 conjugis et propria littera scripta manu :
 53 hanc interceptam Rhodii dant protinus omnem,
 54 qui ferat adverso munera grata duci.
 55 Nil magis indigne tulit hoc Demetrius umquam,
 56 "Ergo, ait, haec urbs est diripienda mihi.
 57 Infractis animis, infracto robore miles
 58 esto, eris hic dives, si modo fortis eris."
 59 His acies struitur dictis, stimulataque turba
 60 ardet, et ingentes pectore fingit opes.
 61 Ante urbem multaeque domus arcesque fuere,
 62 quas capit, et multo milite complet eas.
 63 Hinc potuit totam deperdere protinus urbem,
 64 Mulciberoque altas igne cremare domos.
 65 Verum erat egregium monumentum in parte repostum,
 66 quae primo flammis corripienda fuit.
 67 Caunius insigni pictor confecerat arte,
 68 quem vocat a partu lingua pelasga cito.
 69 Donec id absolvit melius meliusque reformans,
 70 septenne absolvit limite Phoebus iter.
 71 Cernitur auctoris conjunctae intentio curae,
 72 quo prior haud ullus sedulitate fuit.
 73 Dicitur id Cous cum conspexisset Apelles
 74 luminibus fixis obstupuisse diu.
 75 Ac tandem dignum caelo divisque vocasse,
 76 posse nec auctori praemia digna dari.
 77 Ergo sulphureos ignes jacturus in aedes
 78 rex erat : en praeco missus ab urbe venit.
 79 Ille opus extollit, jungitque precantia verba,
 80 ni Rhodiis, operi parcat ut ipse tamen.
 81 Cui rex : "Ingenuis non artibus infero bella,
 82 impius a nobis hic furor esto procul.
 83 Namque prius patiar statuam ipse perire parentis,
 84 hoc mihi perpetuum vivere debet opus."
 85 His dictis aciem turbat celeberrimus heros,
 86 mulciberisque ignes contimuisse jubet.
 87 Interea tanti monumenti factor et auctor
 88 securus belli perstat in arte sua.
 89 Pingit, et extra urbis sibi proxima moenia pingit,
 90 non procul a castris in quibus hostis erat.
 91 Hunc jubet adduci rex, adductumque rogavit,
 92 cur audax adeo pectus habere queat.
 93 Ut nil vicino timeat securus ab hoste,
 94 artibus incumbat sed velut ante suis.
 95 Cui pictor : "Rhodiis te bella inferre sciebam,
 96 et non ingenuis artibus ulla, refert."
 97 His rex gavisus munivit protinus ipsum,

98 et vetuit ne quis forte noceret ei.
 99 Quin a picturis ipsum ne saepe vocaret
 100 post pede inoffenso semper adivit eum.
 101 O utinam nostro celsi sic tempore reges
 102 vellent tutores artibus esse bonis.
 103 Pierides, Phoebusque pater, Jove nataque Pallas
 104 nomina sunt multis ipso odiosa sono.
 105 Non illis unus minitatur bella Pyreneus,
 106 omnia quas belli laedere jura vetant.
 107 Non hodie tantum nos non defendere curant,
 108 sed quacumque queunt arte nocere nocent.
 109 Tu tamen es nostro nobis spes maxima saeclo,
 110 flori tam lingua quam bonitate potens.
 111 Tu nos rite colis, tu nos quoque rite tueris,
 112 et quacumque potes nos ratione juvas.
 113 Obsecro commenda nos vir clarissime regi,
 114 cui te non alius gratior esse potest.
 115 Is quod erat tabulae celebris Demetrius heros,
 116 hoc etiam nobis mox nisi fallor erit.
 117 Nos etiam tabulae sumus, ac lucemus abunde,
 118 virtus in nobis splendet et omne bonum.
 119 Has tua si tabulas clementia magna fovebit,
 120 perpetuo sacrum tempore nomen erit.
 121 Te praesens canet, et te postera noverit aetas,
 122 nec tibi tum levius Hercule nomen erit.
 123 Jungitur is nostroque choro, nostroque labori,
 124 quod fuerit nostrae cura salutis ei.
 125 Sic decet Heroas quoque numina nostra tueri,
 126 sic quoque tu nobis, ut puto, junctus eris.
 127 Sic aliquis quondam referens ex ordine cunctos,
 128 magna quibus nostrae cura salutis erat.
 129 Te non postremum numero quoque ponet in isto,
 130 et Maecenati nomen habebis idem.
 131 Talia virginea fueris ubi voce locuta,
 132 flecte genu, et solito more precare vale.
 133 Atque roga ne quid titubanti vertat inique,
 134 assuetosque tibi compta revertite lares.

AD CLARISSIMUM D. D. PETRUM SALICETUM MEDICUM,
 DIE IPSIUS INSIGNIBUS APUD D. MATHESIUM IN VALLE IOACHIMICA
 CONTIONATOREM VISIS.

ELEGIA III.

P1_03 v.1 Quid ferat ignotae tibi quaeris littera dextrae,
 2 claudicat alterno quae tibi missa pede.
 3 Nostra tuae laudis famaeque cupidine ducta
 4 te sequitur longa sponte Thalia via.
 5 Te sequitur moto virtutis pectore flamma,
 6 Dircaeam veluti saxa feraeque lyram.
 7 Accipe quaeso libens nimioque ignosce favori,
 8 o vir ab ingenio nobilitate tuo.
 9 Illa venit Tyrio quamvis non murice compta,
 10 tu tamen hanc comptas inter habeto deas.

11 Namque gerunt aliae quam picto corpore vestem,
12 illa tui plena mente favore gerit.
13 Mens placet una deo, qui non magis aurea dona,
14 quam data sincero pectore thura probat.
15 Non oculos fallens mea tinxit munera fucus,
16 pignora sunt animi qualiacumque vides.
17 Prima dies aderat solita celebranda quiete,
18 qua cupimus veri munera sacra dei.
19 Pastor ubi sparsit divini semina verbi,
20 semina salvifica percipienda fide :
21 cujus ab ore velut resoluti nubibus imbres
22 illita caelesti nectare verba fluunt :
23 ingredior sacras conviva vocatus in aedes,
24 in quibus excubias pro grege pastor agit.
25 Visa mihi numquam mihi sunt insignia visa,
26 quae merito versu nostra Thalia canit.
27 Squamea serpebat sinuoso vipera tractu,
28 ornabat nitidum lucida crista caput.
29 Haec sibi monstrabant Salicetum signa parasse
30 lege sua in versus verba coacta duos.
31 Aspiciens dubia causam sub mente requiro,
32 serpentis ratio nec subit ulla mihi.
33 Sternitur interea satis amplo mensa paratu,
34 quod genio arridet cui libet illa dabat.
35 Corpore se dapibus recreant, se corda lyaeo,
36 mille animi recreant se sine felle jocis.
37 Post epulas, amor est postquam compressus edendi,
38 laetaque sunt dulci corda levata mero.
39 Pastor, ubi fuerat signorum mentio facta,
40 docta resolvebat talibus ora modis.
41 Haec meruit rara virtute insignia Petrus,
42 Petrus Nisaeo junctus amore mihi.
43 Nemo graves melius novit depellere morbos,
44 aut quales vires quaelibet herba ferat.
45 Quam bene conveniunt medico praestantia signa,
46 qui summo laudes aequat honore suas.
47 Qui validas senibus vires pavidisque puellis
48 reddit, et innumeris qui sua damna dolent.
49 Atque adeo quare medicis sit imago Draconum
50 conveniens, nobis parva referre mora est.
51 De divo, peperit quem Larissaea Coronis
52 fabula nota sat est, sed recitabo tamen.
53 Romulei tractus tabes infecerat auras,
54 languebantque cita corpora prensa lue.
55 Perque vias homines inopina morte cadebant,
56 scissa velut rapidis falcibus herba cadit.
57 Nulla Machaonii juverunt corpora succi ;
58 dira lues medicae vicerat artis opem.
59 Cum nihil in terris hominum medicamina possunt,
60 confugit ad superos et rogat aeger opem.
61 Ergo Romulidae properant ad Delphica templa,
62 mons ubi Pieriis scandit ad astra jugis.
63 Centum ture calent arae fumantque Sabaeo,
64 Phoebus ibi numquam debito honore caret.
65 Ausones exspectant sacris jam rite peractis
66 Delius ex aditis qualia verba sonet.

67 Ingenti spatio duo separat aequora tellus,
68 quae Pelopis Graecis insula dicta diu est.
69 Urbs Epidaurus ibi constructa est moenibus altis
70 non procul a muris, celsa Corinthe, tuis.
71 Hanc et adire monent oracula reddita Phoebi,
72 et certam in dubiis poscere rebus opem.
73 Clarus ibi Phoebos nymphaque Coronide natus
74 templa tenet, quare Phoebus adire jubet.
75 Nec mora contendunt Epidauria littora cursu,
76 atque Coroniden supplice voce rogant.
77 Alterat ille suam formam, mirabile dictu,
78 fit subito serpens qui fuit ante deus.
79 Romuleasque petit naves, ac talia profert,
80 quod Romane petis me tibi dante feres.
81 Classe petunt iterum Romani Thybridis urbem,
82 ingreditur serpens celsaque templa Deus.
83 Hostiaque ingresso mactatur plurima Divo,
84 et caeso quaevis ara cruore tepet.
85 Inde repurgata est cunctis a pestibus aura,
86 sic cultus pepulit divus ab urbe malum.
87 Haec rudis esse olim credebat vera vetustas,
88 obtulit et culto tura precesque Deo.
89 Sed puto cum variis morbis medicina sit anguis,
90 quod trahat hinc causas fictio vana suas.
91 Viperei dentes, pinguedo, pellis, et ossa,
92 in primis contra dira venena valent.
93 Haec non sufficiens, ut Petrus gaudeat angue,
94 causa fuit, quamvis haec quoque causa fuit :
95 sed magis e sacro serpens est fonte petitus
96 quem geris insigni, maxime Petre, tuo.
97 Est locus Arabiae, qua mons juga tollit Orebus,
98 Sinaque qua socium tollit ad astra caput :
99 non ibi culta hominum sunt rura labore boumve,
100 nec gelidi fontes, nec cibus ullus adest.
101 Duxerat Isacidas haec Moses in loca gentes,
102 dum sibi promissos quaerit et optat agros.
103 At gens fessa viae impatientes ardet in iras,
104 inque ducem fundit verba minasque suum.
105 "Quo nos Abramida ducis scelerate ? Tuus ne (Balticus utilise la graphie
106 sic beat, et curat teque tuosque Deus ? 'Amramida', sans doute plus
107 Haecine, quam nobis promisit terra beata est, proche de l'Hébreu.)
108 lactis ubi plena et flumina mellis eunt ?
109 Non hic apta sitim depellere lymphascaturit,
110 nec Cereris pellunt commoda dona famem.
111 Nam quis quottidie delapsus ex aethere panem
112 non fastidito mandere dente queat ?
113 In Pharia fuerat satius regione perire,
114 quam cadere hic miseram bis patiundo necem."
115 His dictis Deus est justam conversus in iram,
116 nec spatium poenae distulit ille suae.
117 Protinus Isacidum complentur castra veneno,
118 quaque pedem vellent ponere dipsas erat.
119 Dipsas erat morsu quae recta mittat ad Orcum
120 flammati exsiccans corporis omne latus.
121 Aetatis cadit omne genus discrimine nullo
122 spica velut rapida falce resecta cadit.

123 Ac cruciata dies paucos vita exit in auras,
124 in castris passim corpora strata jacent.
125 Paenitet Isacidas linguas habuisse profanas
126 ante oculos mortem quando volare vident.
127 Vix oculis ausi caeli convexa tueri
128 exorant Mosen placet ut ipse Deum.
129 Scilicet immensa est summi clementia patris,
130 tardus ut ad poenas sic celer ad veniam.
131 Si modo non caelet ceu ducta crimina nube,
132 sed fassus veniam clamet et optet homo.
133 "Ergo, ait, Abramida, quoniam peccata fatentur
134 et veniam toto pectore et ore petunt,
135 erige transverso suspensam dipsada ligno,
136 hanc qui suspiciet corpore sanus erit."
137 Ille Deo paret, serpentem e stipite pendit,
138 quem fixis oculis faucia turba videt.
139 Utque videt, cedit pulsum de corpore virus,
140 atque redit membris, qui fuit ante, vigor.
141 Hanc insigne sibi delegit Dipsada Petrus,
142 semper et in digitis fertque refertque suis.
143 Serpentes implent gelido qui castra veneno,
144 depingunt Satanae dira venenatrucis.
145 Dira venena quibus miserandam polluit Evam,
146 dum trahit a summo fraude doloque Deo.
147 Involvitque simul caeca caligine mentem
148 divinae spolians munere lucis eam.
149 Justitiam, sumptasque dei de pectore dotes
150 aufert, inque locum crimina spurca serit.
151 Hinc est posteritas vitiis obnoxia caecis,
152 letiferumque imo pectore virus habet.
153 Hinc hominum genus omne velut sub nocte profundae
154 vivit, inest animis nox nisi caeca nihil.
155 At lex sancta Dei nubes in pectore monstrat,
156 quae tibi per Mosen pingitur historice.
157 Hanc ut adimpleret morbis ferretque medelam,
158 devenit excelsa filius arce Dei.
159 Hunc lex, quae nostrum taxabat dura venenum
160 ad Stygias ut nos praecipitaret aquas,
161 suspendit celso (visu miserabile) ligno,
162 perfodit atque manus perfodit atque pedes.
163 Quid dicam ronchos, plagas, convicia, sputa,
164 quae bonitas summi pertulit alma dei ?
165 Jam quicumque gemis saevum serpentis ob ictum,
166 (quo toto justus nullus in orbe caret.)
167 In cruce pendentem serpentem suspice Christum,
168 is solus dirum pellere virus habet.
169 Hunc sancti videre patres, videre prophetae,
170 hunc quotquot nullum pectore virus habent.
171 Hunc videt assiduo Phoebelius pectore Petrus,
172 insigni gaudens ergo Draconis habet.
173 Nos quoque cum mordet Draco, commaculatque veneno,
174 aeternae cupiens nos dare posse neci :
175 hunc bene fidentes videamus pectore toto,
176 da precor o triplicis numinis alme Deus,
177 talia, quae memini, facundo protulit ore,
178 pastor Apollinei prodiga fama chori.

179 Tradita quae parvae puerili carmine chartae
 180 iudicio mitto Petre legenda tuo.
 181 Si tua non spernet tam vilia munera virtus,
 182 materiam dederit carminis illa novi.
 183 Ut maneat nullis te fama caduca diebus,
 184 et mea te crescant scripta favente vale.

AD VENERANDUM VIRUM ZACHARIAM VEIXNERUM PONTANUM, DE PUERO FREIBURGENSEI.

ELEGIA IIII.

P1_04 v.1 Quam legis aerifera tibi mitto valle salutem,
 2 a patre quae Mariae nobile nomen habet.
 3 Hinc ubi declives inquirat turba fodinas,
 4 fossaque Achaemenias terra ministrat opes.
 5 Sit tibi salva precor dulci cum conjuge vita,
 6 salva precor tecum sit tua tota domus.
 7 Nam pede non laeso spatium procurrare vitae
 8 dignus es, et Pyllos enumerare dies.
 9 Talia jusserunt tibi mittere vota Camenae,
 10 quae nobis tales exhibuere sonos.
 11 Ante aliquis certo numero disponet arenas,
 12 caerule Save tuas, caerule Brave tuas.
 13 Quam quibus hic meritis doctas affecerit artes,
 14 Maecenas merito dicitur ille tibi.
 15 Quare adeo multum tibi nos debere fatemur,
 16 Africa quot segetes, quot tulit Hybla thymos.
 17 Non prius e nostris tua vultibus ibit imago,
 18 quam mea vitalis deserat ossa calor.
 19 Quaeque dies animam nostro de corpore pellet,
 20 haec eadem meritum pellet ab ore tuum.
 21 Accipe siqua subit rerum tibi cura novarum,
 22 acciderit nostra quod regione malum.
 23 Magnum prodigium tibi scribo simulque tremendum,
 24 sed tamen est certa res mihi nota fide.
 25 Inclita Misniacis urbs et tibi nota sub oris (de 'Misnia', i.e. Meissen,
 26 bis quater a Vallis milibus urbe jacet. en Saxe.)
 27 Hic fuit Heinrici clarissima principis aula
 28 incola Freiburgum turba vocare solet.
 29 Civis ibi est nec postremus nec summus habendus,
 30 ordine erit medio si videantur opes.
 31 Is natum vitae forsitan tria lustra gerentem :
 32 eductum a pueris nutriti usque domi.
 33 Qualiter eductum non possum dicere, verum
 34 ut patris is vereor fecerit officium.
 35 Hunc genitor praesens prandendi instabat ut hora,
 36 potum ferre suo pro sibi more jubet.
 37 At puer haud faciens genitoris jussa libenter,
 38 auribus haec simulat verba notasse parum.
 39 Altius ergo iterat vocem pater, ac simul urget,
 40 ut sibi quod potet protinus ipse ferat.
 41 Ille sed innixis manibus calidum ante caminum
 42 astat, ut ad vocem non abiturus eam.
 43 Murmura voce ciet, queis patris jussa recusat,

44 quod non audebat dicere murmur erat.
 45 At pater his magno commotus moribus aestu,
 46 pectoris ex imo talia fonte dedit.
 47 O ultrix utinam tibi sit Rhamnusia justa,
 48 cogat ad extremum teque ibi stare diem.
 49 Vix ea fatus crat, quando intrans fercula mater
 50 portat et in mensam ponit utraque manu.
 51 Utque videt vultus nati indignantis et ora,
 52 qua sit is offensus nam ratione rogat.
 53 Cui pater : "Hic potum genitori ferre recusat",
 54 indignans ideo murmur ab ore ciet.
 55 Mater ait : "Nebulo tibi dent dii pessime caeli,
 56 umquam ne possis inde movere pedem."
 57 At puer ut truncus fixus stetit ante Caminum,
 58 nullaque commovit corpore membra suo.
 59 Cumque juberetur post stratam accedere mensam,
 60 nil ait, inque suo perstat ut ante loco,
 61 insolitum standi morem, moremque tacendi,
 62 quotquot erant omnes obstupuere simul.
 63 Accedunt mensae puerumque adducere tentant,
 64 at miser insuetos fundit ab ore sonos.
 65 Se magnos queritur tactum sentire dolores,
 66 seque sinant voto supplice stare rogat.
 67 Nunc ibi perstat adhuc pedibus vivusque sciensque,
 68 avellique ulla nec ratione potest.
 69 Stando pavimenta et protrivit lignea paene,
 70 numquam risus ei, sermoque rarus inest.
 71 Res ingens, incredibilis, res mira relatu,
 72 nota tamen certa cognitione mihi.
 73 Scilicet hac crescat quod tempestate juventa,
 74 nequitiae spreto per genus omne Deo.
 75 Quodque sit ipsorum per magna licentia morum,
 76 res monet haec omnes prodigiosa patres.
 77 Haec tibi, quem rerum delectat cura novarum
 78 carminibus volui non reticere meis.
 79 Tu quoque si quid habes Maecenas optime, possim
 80 fac etiam scriptis certior esse tuis.

AD AMICOS MONACENSES UT SCRIBANT.

ELEGIA V.

P1_05 v.1 Signa volutati qui transit Cynthus anni,
 2 signiferi totum paene peregit iter.
 3 Dum procul a patria vivo velut exul arena,
 4 o animo nimium tempora longa meo.
 5 Ipse mihi videor patria caruisse tot annos,
 6 Ithacus aequoreis quot fuit actus aquis.
 7 Forsitan Hesperiiis populus qui venit ab undis,
 8 hei mihi natales depopulatur agros.
 9 Quaque ego prima meae duxi cunabula vitae,
 10 est oculis numquam forte videnda domus.
 11 Dicite praelongo mihi juncti foedere amici,
 12 quos animo fixos nocte dieque gero :

13 cur vetus e vestro sic pectore fluxit amicus ?
14 Quando legam vestra verba notata manu ?
15 Saepius accepit missam sibi Naso salutem,
16 actus ad Euxinas dum fuit exul aquas.
17 An procul a vobis discessi labe fugatus ?
18 Mutaruntve malam crimina nostra fidem ?
19 Huc quoties veniens Boiorum rura reliquit
20 nuntius, hunc cupido quid ferat ore rogo.
21 Dum, nihil, ille refert, glacies mea pectora stringit,
22 labitur ex oculis maestaque gutta meis.
23 Cum tamen hoc animi frigus de pectore cessit,
24 audires maesta talia voce loqui.
25 Nunc, sua qui primus mandavit semina terris,
26 Triptolemi currus nunc habuisse velim :
27 Daedalus o utinam celeres mihi traderet alas,
28 quas habuit fugiens carcere Creta tuo :
29 lapsus per teneras ut ego velociter auras
30 conspicerem patriae dulcia rura meae.
31 O utinam numquam discordia noxia reges
32 egerit adversa tristia ad arma manu.
33 Non vacuum studiis adeo mihi tempus abiret,
34 non quereretur patriae tristia fata meae.
35 Impia Tartarei Discordia filia Ditis,
36 quam docuit lites et fera bella parens :
37 quae media in patria firma te sede locasti,
38 turbans et regni, et relligionis opus.
39 Jam satis afflictata est per te plebecula, cives
40 exhausti tibi jam sunt super atque satis.
41 Sat dedimus poenas, nimium est tibi sanguinis haustum
42 innocui, loca nunc hinc aliena pete.
43 Ad Tanaim, vel ad extremos Garamantas abito,
44 aut si gens quaequam turpior esse potest.
45 Hanc crucies, discors huic inspicesque venenum,
46 et misce caelo, si licet, ima maris.
47 Sed genitor statuit deperdere Teutonis oras,
48 atque opera inprimis utitur ille tua.
49 Scilicet hanc unum Christum colere atque docere
50 sentit, et id miseris invidet ille modis.
51 Ergo fremit dirum vinctus mordetque catenas,
52 et Christi populum scindere posse cupit
53 cumque suas nequeat vires emittere plene,
54 emittit sobolem te male sana suam.
55 At te praecipitet sub aquas Stygis unde profecta es
56 Angelus, et nostro pellat ab orbe, Dei.
57 Sic patriae rursus venient sacra commoda pacis,
58 Teutonici felix et status orbis erit.
59 Extera non veniet gladiis gens ulla cruentis,
60 nec caedes, lites, bella nec ensis erunt.
61 Haec, et plura, trahens imo suspiria corde,
62 in celeres fundo verba caduca Notos.
63 At mea si vestram tangit miseratio mentem,
64 haec si me vero creditis ore loqui,
65 huc precor a vestra veniat cito littera dextra,
66 seu mala sit patriae, seu bona forma meae.
67 Ne nimium multis mea crescat epistola verbis,
68 vivite felices tempus in omne precor.

AD PETRUM MASSENUM REGIS AUSTRIAE FERDINANDI MUSICI CHORI RECTOREM.

ELEGIA VI.

P1_06 v.1 Quid precor alveolos cogit te visere nostros,
 2 fingit ubi Phoebos mella dicata cohors ?
 3 Tempore quid nobis studiorum frena relaxas
 4 acri quo torret Procyon arva siti ?
 5 Scilicet ingenuas sincero pectore Musas
 6 diligis, et quotquot laude sequuntur eas.
 7 Confectae luctu cum tristes undique maerent,
 8 harum tum meritis tristia corda levas.
 9 Propterea viridi tibi jam de fronde corollas
 10 debebant nostrae texere Pierides.
 11 Sed quoniam sic adhuc conatus viribus impar,
 12 conatus placeat, maxime Petre, tibi.
 13 Sufficit in magnis rebus studiosa voluntas,
 14 qua bene contentos auguror esse deos.
 15 Ergo meae fido tenearis amore Camenae,
 16 laurea dum possit certa parare tibi.
 17 Tum tibi in adversis praebebit gaudia rebus,
 18 perpetuoque tibi nomen honore dabit.
 19 Perpetuo redolent quas praebet Musa coronas,
 20 has neque tempus edax, nec fera perdit hiems.

AD ZACHARIAM VEIXNERUM PONTANUM.

ELEGIA VII.

P1_07 v.1 Ite leves elegi docti pastoris ad aures,
 2 verbaque facundo ferte legenda viro.
 3 Quid pavor ossa quatit ? Quid comoda vestra timetis ?
 4 Carpere tam felix quid dubitatis iter ?
 5 Non sunt ora trucis vobis cernenda tyranni,
 6 non Siculi jubeo regis adire domum.
 7 Sed colit ingenuas, pietatis ut organa, Musas,
 8 per quas praeclarum plus micat ingenium.
 9 Hinc illic pietas, hinc mansuetudoque vitae,
 10 hinc meritis multos cura juvare venit.
 11 Forte meas, illum nisi saecula nostra tulissent,
 12 lassaret fessas rustica stiva manus.
 13 Illius humanos quoties mihi cernere vultus
 14 posse datur, celso me reor esse polo.
 15 Emoriar nisi sit vos excepturus amice,
 16 non frustra tantam vos sinet isse viam.
 17 Ipse putem nigro cygnos prius esse colore,
 18 quam dubitem vestrae pondus abesse preci.
 19 Ergo ubi vos patriae dulces venietis in oras,
 20 continuo celebris quaerite tecta viri.
 21 Aut dominus sparget divini semina verbi,
 22 aut erit in libris Aoniisque suis.

23 Vertice nudato, dicta comique salute,
 24 haec Maecenati dicite verba meo.
 25 Sulphureis reduci thermis gratatur alumnus,
 26 quas habet Austriacis celsa Vienna plagis.
 27 Ingenue totum tibi se debere fatetur,
 28 teque sui curam ne rogat abjicias.
 29 Fluctibus in mediis est turpe relinquere navem,
 30 quod quis suscepit non cito ponat onus.
 31 Majorem multo laudem retulisset Apelles,
 32 ni Veneris coeptum destituisset opus.
 33 Aspera venit hiems, et praecipitatur in imas
 34 valles, et saevo frigore cuncta rigent.
 35 Pellibus arcentur densisque hic frigora braccis,
 36 namque juvant corpus vellera tona nihil.
 37 Ne possint gelidae sentiri frigora brumae,
 38 spero tua juveni prospicietur ope,
 39 praeterea vatum mens ipsius ardet amore,
 40 quorum docta modo noscere scripta cupit.
 41 Scilicet his toto nihil est jucundius orbe,
 42 doctrinam spectes est nihil utilius.
 43 Ergo sibi argentum mitti vir maxime sperat
 44 curabis miti pro bonitate tua.
 45 Auri sed sit opus quantum, quid postulet usus,
 46 id datur arbitrio iudicioque tuo.
 47 Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurat
 48 se tibi subjectum tempus in omne fore.
 49 Ante suis canibus vitabit Delia silvas,
 50 montes dama, pecus gramina, piscis aquas :
 51 illi quam meriti veniant obliviam tanti,
 52 nempe memor fuerit tempus in omne tui.
 53 Haec ubi finieris quicquid dabit accipe grata,
 54 mox abiens Pylios inde precare dies.
 55 Et tibi quod dicet tu prompta mente notabis,
 56 extemploque mihi, quae dedit ille, seres.

AD M. SIMONEM MINERVIUM PROPRAETOREM MONACENSEM.

ELEGIA VIII.

P1_08 v.1 Bellerophonteis vir sincerissime lymphis,
 2 quique ideo a sacra Pallade nomen habes.
 3 Perlege diffusa juvenilia carmina fronte,
 4 quae tibi non paribus fert elegia modis.
 5 Perlege, nec quoniam pes illis claudicat alter,
 6 despecta e gremio reice quaeso tuo.
 7 Non habeas solo fixos in carmine vultus,
 8 quin animum potius, qui dedit ista, vide.
 9 Quippe animos superi, non solum munera spectant.
 10 Quos data non falso pectore tura juvant.
 11 Non levis ambitio mea certe pectora torquet,
 12 nec cupio loculos evacuare tuos.
 13 Haec ego committam tua Bartole castra sequenti,
 14 qui fallit trepidos garrulitate reos.
 15 Ipse tibi dicam non ficto pectore grates,

16 de studiis summa est quod tibi cura meis.
 17 Sensi ego, nec latuit mentem tua gratia nostram,
 18 in tacitoque fui laetior ipse sinu.
 19 Hic sibi devincit meritis mea pectora, dixi,
 20 hic mihi non parvi numinis instar erit.
 21 Isara labetur proprios conversus ad ortus,
 22 Isara Bavarici qui rigat arva soli ;
 23 et prius a nostro secedam corpore oportet,
 24 nostrarque vitalis deserat ossa calor ;
 25 quam mihi quae dederas animo promissa benigno,
 26 elabi possint pectore pulsa meo.
 27 Hei mihi quam res est aevo rarissima nostro,
 28 esse novem dignas ducere laude deas.
 29 Prodigiousa hominum mentes sitis urget habendi
 30 omnia sunt cultis subdita divitiis.
 31 Non modo vulgus iners (quis enim vetet inde moveri ?)
 32 laudat Pierias utilitate deas.
 33 Verum etiam quibus est rerum concessa potestas,
 34 anteferunt aurum dotibus ingenii.
 35 Hinc nemo ingenuas nunc respicit amplius artes,
 36 hinc iterum vertit turba novena solum.
 37 Hinc involvuntur caeca caligine mentes,
 38 hinc sera barbaries, quae fuit ante, redit.
 39 At tu Pieriis animum purgate sub undis,
 40 o animi vera nobilitate potens :
 41 perge favere meis vir praestantissime Musis,
 42 perge, nec a coeptis dimoveare tuis.
 43 Sic tibi qui teneris adolescit natus ab annis,
 44 lucida Pegaseo tendat ad astra gradu.
 45 Si victura meae juvenilia carmina Musae
 46 ibunt aliorum docta per ora virum :
 47 nulla tui immemorem me postera vicerit aetas,
 48 inque tuas laudes officiosus ero.
 49 Longior a nostra venisset epistola dextra,
 50 iudicium verita est Musa subire tuum.

AD D. D. CUNRADUM PRINCIPIS BAVARIAE CONSILIARIUM.

ELEGIA IX.

P1_09 v.1 Cultor et Antistes sacrarum maxime legum,
 2 Pegaseoque simul non renuende choro.
 3 Fama est te sacras Musas, fontemque tueri,
 4 Bellerophonteus quem pede fodit equus.
 5 Cumque voluptates isti sectentur inanes,
 6 quos decuit Musis ferre patrocinium :
 7 dum nocturna leves jaciunt ad lumina talos,
 8 dum figit cervos alter, et alter apros :
 9 te juvat et sacrum studiis praestare patronum,
 10 atque ope Pierias saepe levare Deas.
 11 Ergo mihi nuper misisti munus amoris,
 12 quod mihi donec ero munus amoris erit.
 13 Misisti cum nec faciem, nec nomina noras,
 14 nec noras studium vir venerande meum.

15 Hinc mihi non dubio licuit cognoscere sensu,
 16 quod sacra Parnassi numina montis ames.
 17 Heu quam parva manus (quid enim manifesta negemus ?)
 18 Aonides pretium nunc putat esse sui.
 19 Nunc summo rerum qui sunt in honore locati,
 20 quique nitent auro divitiisque suis :
 21 ut laudant merces, artes laudantque profanas,
 22 sic sacras laudant utilitate deas.
 23 Tu tamen Aonidum celebris patrone dearum,
 24 qua bene coepisti currere perge via.
 25 Perge fovere sacras et commendare puellas,
 26 o vir principibus maxima cura viris.
 27 Cumque tuae faveam famae, sacraeque Camenae,
 28 esse sinas aliqua me quoque parte tuum.
 29 Et si quando meo de nomine mentio fiet,
 30 hic mihi non dubio est notus amore, refer.
 31 Hic aliquam nostros partem tenet inter amicos,
 32 patronum juvenis nec pudor esse mihi est.
 33 Haec est nobilitas vitae et melioris origo est,
 34 non res est docto dignior ulla viro.
 35 Sic tibi semper erunt e nostro carmine laudes,
 36 si laudare aliquem carmina nostra queunt.
 37 Sic pueri, quos magna tui cognatio tangit,
 38 tendant Pieria me duce ad astra via.
 39 Sic tibi Nestoreos vita inculcata per annos,
 40 detur, et in vita nulla querela tua.

AD D. PHILIPPUM MELANCHTHONEM.

ELEGIA X.

P1_10 v.1 Si vacat, et tantum curarum mole quiescis,
 2 vir cui non similem Teutona terra tulit.
 3 Te precor ex animo pueriles perlege versus,
 4 quos tibi discipulus, vir venerande, dedit.
 5 Ipse verecundo quam non sim pectore novi,
 6 qui te ausim versu sollicitare meo.
 7 Sed facit hoc rerum status et fortuna mearum,
 8 quae saepe audaces cogit habere manus.
 9 Nec non sollicitam firmat promissio mentem,
 10 quam puto in Aeolios non abiisse Notos.
 11 Ergo status qui sit, quae rerum forma mearum,
 12 quidve petam, nobis parva referre mora est.
 13 Non procul Italicis urbs distat ab Alpibus : illam
 14 caeruleus gelidis Isara claudit aquis.
 15 Hic est Alberti Boiorum principis aula,
 16 qui tenet exstincto sceptrum parente suo.
 17 Haec ego conspexi primam prope moenia lucem,
 18 nec patriam tenuem paenitet esse casam.
 19 Nam licet ex humili sim pauper stirpe creatus,
 20 stirps tamen est numquam labe notata mea.
 21 Est aliquid natum claris majoribus esse,
 22 atque ab avis natum posse tenere decus.
 23 Sed tamen haec major laus est, obscura parentum

24 nomina Pieria tollere ad astra via.
25 Si mihi contingat mansurum nomen in aevum,
26 huic ego postponam totius orbis opes.
27 Vix puero Aoniae vix arrisere sorores,
28 vix placuit studiis nota Minerva bonis :
29 cum procul a patria consensu migro parentum,
30 (id puto fatales sic voluisse deos).
31 Et gelidam venio Boreae spirantis ad Arctum,
32 Arcadicis quondam quae fuit ursa jugis.
33 Huc ubi de Mariae patre vallis nomen adepta,
34 condita montanis continet aera jugis.
35 Hic mihi sex annos studiis melioribus aucto
36 sunt mea Pieriis ora rigata vadis.
37 Mox ut de vivis majores sontibus artes
38 haurirem studium summaque cura fuit.
39 Ergo tuli parvos sumptus a patre relictos,
40 et veni ad vestram magne Philippe scholam.
41 Hos quia in Arctois penitus consumpsimus oris,
42 ad patrios cogor rursus abire lares.
43 Ergo ubi lux aderit dominatis proxima Martis,
44 ingrediar longas vir venerande vias.
45 O utinam liceat non deficiente Crumena
46 esse ad Leucoreae docta Lycaea scholae.
47 Non ego grassantem metuum nunc undique pestem,
48 quicquid et obtigerit condicione loci.
49 Illita caelesti cum fundis nectare verba,
50 ferventi exsultat pectus amore meum.
51 Omnia conabor (si quid conamina possunt)
52 ne priver lingua, docte Philippe, tua.
53 Dum Ducis Alberti sim sub ditione locatus,
54 constitui patrium sollicitare ducem.
55 Illius exaequant heroica pectora patrem
56 plurima virtutis dat bona signa suae.
57 Ingenuas nuper sumptus delegit in artes,
58 ingeniique boni quos videt esse, fovet.
59 Scilicet est ingens spes hoc de principe cuique,
60 laude novem dignas qui putat esse deas.
61 Ille suas laudes aequabit laudibus olim,
62 rex Alphonse tuis, Carole magne tuis.
63 Scimus quod studiis sit fautor et auctor honestis,
64 et quod Pierii numina montis amet.
65 Ergo vir o Muis nostro spes unica saeclo,
66 provehe conatum qua potes arte meum.
67 Et me commenda Ducis ex primoribus uni,
68 aut ipsi potius, si placet, ipse duci.
69 Quae tibi de studiis spes nostris creverit auge,
70 ut tuus hic in me conspiciatur amor.
71 Hoc tibi promerito me gratum semper amabis,
72 gaudebis facto tempus in omne tuo.
73 Et quoniam nequeo tibi praemia digna referre,
74 pro meritis referet praemia digna Deus.
75 Te duce, Teutoniae ut concordia dogmata fiant,
76 stamina fatales dent diuturna Deae.

AD D. D. ONOPHORUM BERBINGERUM, PRINCIPIS BAVARIAE CONSILIARIUM.

ELEGIA XI.

P1_11 v.1 Vir venerande tuas haec immissurus in aedes,
 2 carmina iudicio pauca legenda tuo :
 3 erubui primum, dubioque in pectore dixi,
 4 rejiciet gremio vilia verba suo.
 5 Sive quod est magna curarum mole gravatus,
 6 sive quod ignota scripsimus ista manu.
 7 Difficili premitur magnarum pondere rerum,
 8 non vacat his levibus rebus adesse viro.
 9 Sic ego : cum summa mihi vir pietate colendus,
 10 reddidit ad nostros talia verba sonos.
 11 Sollicito vanum quid alis sub corde timorem ?
 12 Scribe viro, curas abice, scribe viro.
 13 Ille quidem fateor jam magna negotia tractat,
 14 praecipuas causas totius urbis agit.
 15 Non tamen idcirco juvenilia carmina spernit,
 16 nec Musas querulo posthabet ille foro.
 17 Hos amat, ac nitido complectitur usque favore,
 18 quos videt Aoniis ora rigare vadis.
 19 Non pudet hunc sit inops quantumvis dicere amicum,
 20 cujus erunt studiis fulgida corda bonis.
 21 Scilicet haec illi virtus sub pectore regnat,
 22 hac sibi conatur laude parare decus.
 23 Talibus auditis melius confidere coepi,
 24 et rediit pulso spesque fidesque metu.
 25 Ergo, vir aequarum cultor justissime legum,
 26 nec non Aonii praeses honorque gregis,
 27 fac ne quaeso mihi de te spes vana resurgat,
 28 fac mea, qua spero, carmina fronte legas.
 29 Fulva nec aera mihi cupio, nitidosve lapillos,
 30 quos legit Eois decolor Indus aquis.
 31 Commendare tuo cupio mea scripta favori,
 32 atque animum versu demeruisse tuum.
 33 Scilicet hic scopus est, et nostri meta laboris,
 34 carmine si pretii consequar hoc sat erit.
 35 Est aliquid gnavum Pimplei fontis alumnum,
 36 propitios summae laudis habere viros.
 37 Auspiciis quorum fiat regumque ducumque
 38 cura, nec in caecis torpeat usque casis.
 39 Quorum consiliis, quorum virtute suavi,
 40 quod fugiat semper, quodque sequatur habet.
 41 Caesaris Augusti numquam Maro cura fuisset,
 42 si non patronus forte fuisset ei.
 43 Talem se praestat nobis celeberrimus heros,
 44 nobile cui nomen docta Minerva dedit.
 45 Cujus nulla meam capiant oblivia mentem,
 46 corpore dum nostro vita superstes erit.
 47 Si quid forte mei venit alta per ora virorum,
 48 gratus ei cuncto tempore dicar ego.
 49 Tu quoque praecipua vir praestantissime laude
 50 esse sinas simili me ratione tuum.
 51 Et si quando mei dabitur tibi causa juvandi,
 52 ne te quaeso velis immemor esse mei.

53 O utinam studii cursus absolvere nostri,
 54 inque venire iterum docta lycaea queam.
 55 Scilicet in medio currit mea cymbula ponto,
 56 et dubitat portum sitne habitura suum.
 57 Si tua conatus poterit clementia nostros,
 58 sive hac, sive alia forte juvare via :
 59 nulla tui veniet nobis oblivio facti.
 60 Dum flavus gelidas Isara volvet aquas,
 61 maxima laus studiis homini est succurrere lapsis,
 62 convenit et tanto, quantus es ipse, viro.
 63 Sic tibi odoriferas contexet Musa corollas,
 64 inque tuas laudes, Castalis unda fluet.
 65 Carmina sunt fulvo longe potiora metallo,
 66 et quicquid pulcher nobile mundus habet.
 67 Carmine nomen habent celebres post funera reges,
 68 carminibus vivax qui celebratur erit.
 69 Aeacus ut semper cum magno vivat Ulysse,
 70 Maeonii fecit nobile vatis opus.
 71 Quis nunc Aeneam nosset fortemque Cloanthum,
 72 si nunc Virgilii carmina nulla forent ?
 73 Sed mea ne nimiis accrescat epistola verbis,
 74 carminis inculti contraho vela mei.
 75 Tu mihi sis fautor, venientque in carmina vires,
 76 utque diu possis ipse favere, vale.

AD EUNDEM.

ELEGIA XII.

P1_12 v.1 Desinet esse prius sacri defensio juris,
 2 aequus et injustus, justus iniquus erit ;
 3 nullaque naturae res congrua legibus ibit,
 4 cunctaque in antiquum sunt reditura chaos :
 5 gratia quam fiat meritorum vana tuorum,
 6 o vir Apollinei spesque salusque gregis.
 7 Quanta tibi regnet sub aperto pectore virtus,
 8 noscere non dubie quisque vel inde potest.
 9 Ipse meo misi carmen tibi vile patrono,
 10 et cupii mentem conciliare tuam.
 11 Dixi quod medio mea currat cymbula ponto,
 12 et dubitet portum sit ne habitura suum.
 13 Haec ubi legisti gavisio pectore verba,
 14 tu mox Maecenas incipis esse meus.
 15 Nec mora, conaris deducere ab aequore navem,
 16 et fidam nanti subjicis ipse manum.
 17 Scilicet hoc doctas ornas candore Camenas,
 18 et sic Pegasei numina fontis amas.
 19 O decus, o pietas, virtus antiqua fidesque,
 20 o rarum nostri temporis officium.
 21 Detur inoffenso Pyliam numerare senectam,
 22 cumque annis crescat fama decusque tuis.
 23 Donec erit nostro spirans in corpore vita,
 24 pro meritis numquam non tibi gratus ero.
 25 Si fuerit studiis nostris modo fautor Apollo,

26 in medio sistet nec mea vela mari :
 27 non me posteritas ingratum dicet alumnum,
 28 narrabit laudes pagina nostra tuas.
 29 O utinam liceat praeclaram cernere lucem,
 30 noscere qua possis pectoris ima mei.
 31 Tum tu non dubio sic posses dicere sensu,
 32 Balticus est gratus cordaque aperta gerit.
 33 At tu ne dubiae tua subtrahe brachia puppi,
 34 in portu donec sistitur illa suo.
 35 Namque tibi ostendit pronum fortuna favorem,
 36 et surgit coeptis aura secunda tuis.
 37 Ecce novem tectae lugubri veste sorores,
 38 te coram flexo procubuere genu.
 39 Nec non nigra gerens maestus velamina Phoebus,
 40 quem sequitur Clarii tota caterva chori.
 41 Et tales lacrimis per honesta cadentibus ora
 42 Castalides fundunt ante tua ora sonos.
 43 O vir confugium, spes unica, et unica nobis,
 44 non dubia nostras suscipe mente preces.
 45 Aspice, qui luctus quae sit singultio nostra,
 46 hunc habitum pectus fac penetrare tuum.
 47 Nos primo ornavit divino Graecia cultu,
 48 et per nos virtus crevit et omne bonum.
 49 Hic Helicon nobis fuit et Parnassus, et undam
 50 Bellerophonteus cum pede fodit equus.
 51 Cum nos floruimus, virtus quoque floruit omnis,
 52 floruit et pax, et pacis alumna Ceres.
 53 At Mahometigenae pepulerunt numina Turcae
 54 nostra volutato gens inimica polo.
 55 Hinc nos in latias maestae discessimus oras,
 56 fecimus hic sedes, atque Heliconam novum.
 57 Sed breve floruimus tempus, bella horrida bella
 58 regnarunt, nobis languit omne decus.
 59 Huic nos Teutonicas perreximus ire sub oras,
 60 coeperunt nuper numina nostra coli.
 61 Hic ubi Parrhasides rutilanti sidere fulgent,
 62 Arctousque videt frigida regna Polus :
 63 non levis est nobis habitus vir maxime cultus,
 64 paulatim nobis hic quoque cultus abit.
 65 Spreta pererramus sic terras turba per omnes,
 66 exilium durum cogimur usque pati.
 67 Spernitur ingratas facundia sacra per urbes,
 68 et pauci recte numina nostra colunt.
 69 Ergo vir exilii, et tanti miserere laboris,
 70 fac nobis vestra detur in urbe locus.
 71 Sic pietate sacra res publica vestra vigebit,
 72 omnia sic votis uberiora cadent.
 73 Praeterea juvenis non desere in aequore navem,
 74 hujus, at in portum fac eat illa suum.
 75 Scis quae sit navis, quibus et jactetur in undis,
 76 et scis educi qua ratione queat.
 77 Scis quibus utendum tibi sit vir maxime remis,
 78 et non hoc opus est significare tibi.
 79 Ipse tibi Tiphys cedat, Palinurus et ipse,
 80 Tiphys et quisquis clarus in arte fuit.
 81 Perge modo cedunt feliciter omnia perge,

82 et nisi subducta subtrahe puppe manum,
 83 hoc rogat ex animo nobiscum summus Apollo,
 84 hoc rogat et Clarii sedula turba chori.
 85 Sic ex Parnasso nos hanc veniemus in urbem,
 86 nec tibi nobiscum gloria vilis erit.
 87 Saepe aliquis cygnus nostris prodibit ab undis,
 88 laudibus et nomen tollet ad astra tuum.
 89 Sed te forte nimis longo sermone moramur,
 90 obstamus rebus forte loquendo tuis.
 91 Vive, valeque diu spes unica et unica nobis,
 92 atque veni lacerae portus et aura rati.

AD RAPHAELEM SEILERUM CLARISSIMI VIRI D. GEREONIS SEILERI FILIUM.

ELEGIA XIII.

P1_13 v.1 Phoebus ab Eoo currentes orbe jugales
 2 condidit occiduo terve quaterve mari :
 3 ut patriam repetens liquisti moenia nostra,
 4 nobile quae Monachum nomen adepta tenent.
 5 Verum crede mihi luces tot abisse videntur,
 6 quot rediens in se caesaris annus habet.
 7 Nam mea mens tecum longos consumere soles
 8 ardet, et id quoniam non licet aegra dolet.
 9 Scilicet huic animo tua semper inhaeret imago,
 10 sive dies surgat, sub mare sive cadat.
 11 Nam si prima meae repetantur tempora vitae,
 12 paene tui puero nominis ardor erat.
 13 Oppida parva tenent sortiti nomina pontis,
 14 qua canus liquidis Ammera serpit aquis.
 15 Hic ego Libani primum de fonte liquorem,
 16 Gorgoneus rapido quem pede fodit equus.
 17 Hic mihi Veixnerus casto venerandus amore,
 18 excubias Christi pro grego pastor agit.
 19 Is persaepe tuum tollebat ad aethera nomen,
 20 inque tuas laudes ingeniosus erat.
 21 Ut varias ornes tua dixit pectora linguis,
 22 et quam sis scripti dexter in omne genus.
 23 Concentus fidium ut possis movisse canoros,
 24 seu cithara libeat ludere sive chely.
 25 Denique ut immenso virtutis amore traharis,
 26 ut jungas mores artibus usque bonos.
 27 Implicuit tum se nostris scintilla medullis,
 28 et cupidum fecit pectus amore tui.
 29 Nunc hanc e patriis accedis moenibus urbem,
 30 accedisque meae limina parva scholae.
 31 Et dextram dextrae jungis, salvere jubesque,
 32 et mecum sancis foedus amicitiae.
 33 Quid magis o posset nobis contingere gratum !
 34 Quid magis ex votis aut queat esse meis ?
 35 Quae fuit ante meis candens scintilla medullis,
 36 in flammam subito nunc abit aucta mihi.
 37 O utinam liceat vitam consumere tecum,
 38 tecum de priscis dicere multa sophis.

39 Historias tecum, vates evolvere tecum,
 40 dum mea nativus deserat ossa calor.
 41 Sed quoniam nobis hanc sortem fata negarunt,
 42 et procula nobis Gallica rura petis :
 43 redde vicem, nostri non expers pectus amoris.
 44 Quae te cumque tenet terra vel aequor, habe :
 45 nulla tui nostram capiant oblivia mentem
 46 flumina si Lethes nigra bibenda forent.
 47 Non posset nostri disrumpere foedus amoris,
 48 Taurica, si nobis, ara, adeunda foret.
 49 Quod fuit Euryalo Nisus, Phoceus Orestis,
 50 quod fuit Aegides Pirithooque suo.
 51 Hoc tibi (sed liceat fato meliore fruamur,
 52 et concedatur vivere) semper ero.
 53 Ergo bonis avibus nostri non immemor ito,
 54 Gallicaque hinc longe dissita regna pete.
 55 Huc tua te virtus vocat, huc te prospera fata,
 56 hic fies patriae portus et aura tuae.
 57 O quos hic homines et qualia moenia cernes,
 58 non homines credes, sed statuisse deos.
 59 Quam Tiguri celsam tacitus miraberis urbem,
 60 plurima quam cernes non tibi visa prius.
 61 Hic tibi Gesnerus socio jungetur amore,
 62 cujus habet cunctos bibliotheca libros,
 63 jungentur multi, quorum mihi nomina certa
 64 nec constant, nec sunt carminis hujus opus.
 65 Hinc abiens cernes in aprico moenia colle,
 66 quae primo Plancum constituisse ferunt.
 67 Haec urbs celato pretiosos aere libellos
 68 imprimit, idcirco nobile nomen habet.
 69 Hic Araris Rhodono leni se flumine miscet,
 70 ex uno fluvii qui duo monte cadunt.
 71 Inde sed accedes dictam de monte Gebennam,
 72 gens ubi de summis rupibus ima videt.
 73 Hic vada piscosi mirabere cana Lemanni,
 74 quem rapidis Rhodanus perfluit altus aquis.
 75 Postremo Biturix cernes quam condidit urbem,
 76 quae tenet auctoris nomen adepta sui.
 77 Haec est meta viae, tota quam mente petisti,
 78 ad quam sudavit pectore anhelus equus.
 79 Hic leges vivis disces e fontibus haustas,
 80 civica pro trepidis armaque ferre reis.
 81 Hic paries nullo nomen delebile saeclo,
 82 mox eris in patria fama decusque tua.
 83 In patrias olim rediens feliciter oras,
 84 jura reges patrii frenaque nacta fori.
 85 Hanc tibi quam primum lucem Tithonia mater
 86 Memnonis a nitido proferat axe. Vale.

AD CLARISSIMUM VIRUM GASPAREM SCHRENCKIUM PATRICIUM MONACENSEM.

ELEGIA XIII.

P1_14 v.1 Nostra tuas dudum jam debuit ire sub aedes

2 Musa, agere et grates officiosa tibi.
 3 Namque senatores hac cum tot in urbe supersint
 4 officiis clari nominibusque viri :
 5 vix alius sacras studio majore Camenas,
 6 assidue tanta sedulitate fovet.
 7 Tu decus in studiis, et verum ponis honorem,
 8 divitiis alii quod posuere suis.
 9 Tu scis quod possit res publica nulla vigere
 10 quae careat doctis ingenuisque viris.
 11 Tu facis ut longe natalibus exulet oris,
 12 horrida fax vitii, brutaque barbaries.
 13 Tantis pro meritis quamvis inculta Thalia
 14 debuit in laudes esse benigna tuas.
 15 Debuit ingentes tibi pridem dicere grates,
 16 virtutesque levi ferre sub astra lyra.
 17 Hactenus, ac rubuit non limina sucta subire,
 18 se vitio turpes sensit habere pedes.
 19 Sed quia cognovit quam sit tibi pectus amicum,
 20 quam spernas nullo carmina missa modo :
 21 saepe cupit, dexter modo vires praestet Apollo,
 22 te canere, et meritum tollere ad astra caput.
 23 At nunc Antistes doctorum disce virorum
 24 quid mea praesenti tempore musa velit.
 25 Cras ubi conveniet magni sacer ordo senatus,
 26 et capiet sanctos curia longa patres :
 27 littera praesentem recitabitur ante senatum,
 28 qua petii nostrae commoda magna scholae.
 29 Tu quoque quod petii, fida, vir maxime, voce
 30 urgebis, res est muneris ista tui.
 31 Nam cum sis tenerae inspector, tutorque juventae
 32 delectus, juvet hanc lingua diserta tua.
 33 Justa, conserva sanctum virtutis honorem,
 34 quae de Pieridum flumine larga fluit.
 35 Sic tibi longaevam concedant numina vitam,
 36 sic annis veniat fama decusque tuis.

POEMATUM MARTINI BALTICI MONACENSIS, AD D. GEORGIUM A GUMPENPERG,

LIBER SECUNDUS.

CICADA. ELEGIA I.

P2_01 v.1 Ver erat et picti lucebant gramina campi,
 2 nuper ab Eois sol erat ortus aquis :

3 mollibus egressus libravi corpus in herbis,
 4 sic meditans summi dulce parentis opus.
 5 Quicquid ubique viget divina potentia fecit,
 6 auctoremque refert una vel herba suum.
 7 Qui nitido fragilis ita flores pascit amictu,
 8 qui queat effigiem deseruisse sui ?
 9 Haec ego dum meditor raucae sub sole cicadae
 10 pectore stridentes exhibuere sonos.
 11 Erigo gramineo fessum de caespite corpus,
 12 insilit in nostras parva figura manus.
 13 Aspiciens testam nil praeter et ossa videbam,
 14 nullus in exili corpore sucus erat.
 15 Non erat os illi, quo carpere gramina posset,
 16 instar acus tantum fistula pectus habet.
 17 Qua solet in foliis haerentem lambere rorem,
 18 hic cibus est illis parvaque membra fovet.
 19 Quolibet impulsu vitam sine sanguine linquit,
 20 sole oriente viget, sole cadente jacet.
 21 Dum dubito, tacita quid prodat imagine vermis,
 22 conjugis aurorae fabula prisca subit.
 23 Fama est hunc raucae formam coepisse cicadae,
 24 cum foret annosus morte premente senex.
 25 Ergo ego non certa dubitavi dicere mente,
 26 designat tremulum rauca cicada senem.
 27 Is trahit ex imo querulosas pectore voces,
 28 quod veniat variis feta senecta malis
 29 praeteritum laudat, sed praesens improbat aevum,
 30 extollit puero qua placuere senex.
 31 Arida corrupto trahit is quoque membra vigore,
 32 rarus inexhausto corpore sucus inest.
 33 Non juvat ora cibus, veluti Jovis armiger ales,
 34 contentus solo membra liquore fovet.
 35 Si quando miserae sua lenit taedia vitae
 36 advolat ignaro mors inopina pede.
 37 Quisquis es annosam semper venerare senectam,
 38 et miseros omni parte putato senes.

ASINUS MOLIS ADDICTUS. ELEGIA II.

P2_02 v.1 Lignea praeclusum cum Noam capsula teneret,
 2 ne foret insano praeda voranda mari :
 3 aerii laudat resonantia carmina coetus,
 4 tinctaque caelesti nectare verba fluunt.
 5 Non ita Arionia pecus est a voce retentum,
 6 ut stupet, ut culti pendet ab ore senis.
 7 En asinus pede pulsat humum, turbatque loquentem,
 8 hoc scelus injecto dente notabat equus.
 9 At pecus insulsum ne conspiceretur amicum,
 10 inculto raucos edit ab ore sonos.
 11 Cumque senex adeo caneret caelestia plectra,
 12 credidit his similes se dare posse sonos.
 13 Sed sapiens justas Noe tum lentus in iras
 14 hos non horribili protulit ore sonos.
 15 "Quid juvat irasci ? Quid te exercere flagellis ?

16 Durtie silices exsuperare potes.
 17 Te capiunt strepitus, non somnolentius ullum,
 18 te pecus est, tecum vivere nemo potest.
 19 Cum vitiis scateas, careas virtute, gravabit
 20 pistrini moles, et tua terga premet.
 21 Quae sonitu lituos, quae cornua, sistraque vincunt,
 22 de dura fient tympana pelle tua."
 23 Dixit, et ascendens iterum de more cathedram,
 24 intentum dulci leniit ore pecus.
 25 Vota manent, asinus pistrini mole gravatur,
 26 tympana de duro tergore facta vides.
 27 Eventus sequitur Diras maledicta parentum,
 28 qui sapit hos omni sedulitate colet.

ASINUS ET CAPELLUS. ELEGIA III.

P2_03 v.1 Blandus erat catulus praecinctus tempora nolis,
 2 exsuperans niveis alba ligustra pilis.
 3 Is dominum motae capiebat murmure caudae,
 4 applaudens teneros dum jacet ante pedes.
 5 Huic epulae dulces per blandimenta dabantur,
 6 hunc herus in blando fertque fovetque sinu.
 7 Viderat auritus miserandae sortis asellus,
 8 me premit aeternum sors inimica refert.
 9 Perpetuo pressum curvatur pondere tergum,
 10 poplite succiso fessaque membra cadunt.
 11 Ecce canis parvoque sono caudaque salaci,
 12 sic potuit dominum demeruisse meum.
 13 Ipse mihi demam per blandimenta labores,
 14 felicem vitam, qui bene mulcet, habet.
 15 Nec mora directas sustollit ad aethera calces,
 16 incurrens dominum voce rudente suum.
 17 Territus hoc monstro venit in discrimina vitae,
 18 "Ferte mihi, clamat, ferte salutis opem."
 19 Subveniunt famuli sudibus pulsatur asellus,
 20 i nunc blanditiis et tibi quaere cibum.
 21 Haec tibi contingant qui magnatum scabis aures,
 22 ut modo sorte queas commodiore frui.

VICTORIAE GEDEONIS CUM CHRISTI COLLATIO. ELEGIA IIII.

P2_04 v.1 Nunc tibi prostratos hostes victricibus armis,
 2 Christe Palaestina virgine nate canam.
 3 At prius a forti caesos Gedeone tyrannos
 4 dicam, qui palmae est dulcis imago tuae.
 5 O Deus a bino procedens numine numen,
 6 tu mea caelesti pectora rore riga.
 7 Ut mihi det laetos Christi victoria motus,
 8 ex animo ut possim promere carmen ei.
 9 Gens ex Isacida quondam prognata parente,
 10 quam deus e rubris duxerat ante vadis :
 11 impia cum coleret ficti simulacra Baalis,

12 cumque oblita sui jam foret ipsa Dei :
13 accensa (ut merito) summi fuit ira Tonantis,
14 crudelique illam fecit ab hoste premi.
15 Septem continuos revolutis mensibus orbes
16 sub Madianitidum continuitque jugo.
17 Saepe coacta fuit caecas intrare speluncas,
18 ut modo ab instanti tutior hoste foret.
19 Crediderat sus forte solo cum semina culto,
20 semina spes vitae de quibus omnis erat.
21 En Madianitidum juncto sibi milite reges,
22 quos habet Eoae subdita terra plagae.
23 Invadunt numero quantum comprehendere vix est,
24 Isacidis campi quicquid agrique fuit.
25 Ipse maris flavas citius numerabis arenas,
26 aut quota per gramen parva cicada salit.
27 His late fines, et consita pascua vastant,
28 ex agris abigunt et pecus omne sibi.
29 His benedicta deo gens sic exercita curis,
30 aeterni rursus numinis orat opem.
31 Mite deus numen, si quis resipiscere coepit,
32 vindictam ponit protinus ipse suam.
33 Ergo sacrum mittens genium Gedeonis ad aurem,
34 caelesti bellum voce movere jubet.
35 Neve sit attonito dux pectore, bella recusans,
36 illi prodigio spem facit esse novam.
37 Vellus erat positum structa Gedeonis in ara,
38 id noctu madidum rore cadente fuit.
39 Terraque sicca fuit juxta omnis, nocte sequente
40 res eadem inverso contigit ista modo.
41 Utque dei penitus sit quanta potentia norit,
42 ter centum non plus jussit habere viros.
43 Exiguo numero jam non offenditur heros,
44 sed mandante Deo sic struit ipse viros.
45 Laeva tubam altisonam gerit, et vas fictile dextra,
46 lychnus in hoc larga pallade clausus erat.
47 Hinc tria mox numerum partitur in agmina totum,
48 inque hostes ternis partibus ire jubet.
49 Nox erat accedunt vino somnoque sepultos,
50 circuit hostilem parvaque turba gregem.
51 Jamque ubi clausissent ternis e partibus hostes,
52 quos certo numero prendere difficile est :
53 inflant quisque tubas, cito classica pulsa sonabant,
54 circum castra crepat, magnus ubique sonus.
55 Tum pulsando tubam, subito vas fictile frangunt,
56 inde faces laeva corripiuntque manu.
57 Inflandoque tubas clamant sua symbola voce,
58 cum gladius domini, tum Gedeonis adest.
59 In castris oritur clamor stridorque virorum,
60 ante oculos mortem quisque volare putat.
61 Hic stupet, ille fugit, gemit hic, vocat alter ad arma,
62 maxima pars gladios eripuerunt suos.
63 Dumque alii fugiunt, alii persistere mandant,
64 vocibus et plane dissona castra fremunt :
65 in sua convertit gladios ferus agmina miles,
66 Isacidas inter se putat esse viros.
67 Alter in alterius tepefecit sanguine tela,

68 saepe pater nati concidit ense sui.
69 Sicque volente Deo propria vi concidit hostis,
70 non infesta cohors quem superare valet.
71 Plura potest et plura facit divina potestas,
72 quam mortale potest credere iudicium.
73 Ergo sua capta ratione legat sacra scripta,
74 quaeque legit simplex omnia credat homo.
75 Praeterquam quod sacra nihil te pagina fallit,
76 mystica sub gestis plurima rebus habet.
77 Quae voluit fieri Deus olim foedere prisco,
78 cuncta fuere sacri foederis umbra novi.
79 Nos velut Isacidas validus circumdedit hostis,
80 ac late grassans tristia damna tulit.
81 Scilicet afflixit misere regnator Averni,
82 abstulit et nobis munera sacra dei.
83 Supposuit spurcata simul sua munera nobis ;
84 hinc lex o miseris maximus hostis erat.
85 Infernas prope nos cogebat adire speluncas,
86 hinc letum nobis non minor hostis erat.
87 His agitabamur miseri noctesque diesque,
88 nec patuit nostrae terra vel unda fugae.
89 Nos velut Isacidae valde peccavimus omnes
90 aeterni legem transgrediendo Dei.
91 Dum vult esse deo major miserabilis Eva,
92 nec contenta suis finibus egreditur.
93 At deus est casus hominum miseratus acerbos,
94 et celsa natum misit ab arce poli.
95 Purpureum fudit pro nobis ille cruorem,
96 hoc est quod madidum nectare vellus erat.
97 Hinc maduit tellus caelesti rore refecta,
98 in qua nulla prius guttula roris erat.
99 Arida tota fuit, sitiitque miserrima tota,
100 sed nati tota est, rore refecta dei.
101 Ille etenim nostros superavit fortiter hostes,
102 hoc quoque quo Gedeon vicerat ante modo.
103 Non gladii non hasta caput fregere Draconis,
104 machina sulphureos nec jaculata globos.
105 Nec victa his armis cuspis fuit aspera mortis,
106 legis vicerunt ista nec arma jugum.
107 Qualia sunt igitur ? Divini buccina verbi,
108 et lux justitiae splendida et alma Dei.
109 Ut leo cristati cum cantus alitis audit,
110 obstupet, atque tremor territa membra quatit :
111 sic Stygius Draco, cum verbi sacra buccina clangit.
112 Horret, et a nobis voce repulsus abit ;
113 cognitioque dei lucens ubi pectore splendet,
114 tum prope nos hostis nescit habere locum.
115 Quid fragilis sibi testa cupit ? Quid lumen in illa ?
116 Horrida sunt vitiis corpora nostra malis ;
117 sunt eadem variis etiam male noxia morbis,
118 expositi multis sunt et ubique malis
119 sed tamen afflictas lux est clarissima testas,
120 nil majus veri est agnitione Dei.
121 Lux nimium felix omni pretiosior auro,
122 quam per mille gerunt corpora nostra mala.
123 Non tamen haec oculis hominum fulgere videtur,

124 ni facias testae frusta minuta tuae.
 125 Ni libeat dulcem pro Christo fundere vitam,
 126 ni corpus miseris comminuasque modis.
 127 Quale decus fidei quod lumen deinde videtur ?
 128 Non ita luciferi lucida stella micat.
 129 Obruta cum saxis tua, Stephane, testa fuisset,
 130 clarius emicuit sole oriente jubar.
 131 Hic vicit vires Ditis, legisque, necisque,
 132 his ipsis armis queis deus usus erat.
 133 Scilicet agnitio micuit sub pectore splendens,
 134 et sonuit verum tibia fassa Deum.
 135 Lex, Satan, et letum triplex et maximus hostis,
 136 per nostrum robur perdidit omne ducem.
 137 Tu tibi non dubia persuade talia mente,
 138 sisque tui gratus cultor ubique ducis.
 139 Hic hominum debet splendere in pectore lychnus,
 140 inde tuo inflato fortiter ore tubae.
 141 Ore ducem profiteri tuum, nec te metus ullus,
 142 aut honor a veri flectat amore Dei.
 143 Sic Stygia pelles venientia monstra palude,
 144 impositoque teres subdita colla pede.
 145 Ergo tibi grates agimus ter maxime victor,
 146 psallimus et nostro jubila laeta Duci.
 147 Et simul unanimes oramus supplice voce,
 148 tingere nostra tuo pectora rore velis.
 149 Ut semper nostra sit fax in pectore splendens,
 150 inflemusque sacre fortiter ore tubae.

IN PIMPLAEUM. ELEGIA V.

P2_05 v.1 Rumor ait, Pimplaeae, meam te laedere famam,
 2 et damnare meum sis ubicumque caput.
 3 Tu condis epulas de me non vera loquendo,
 4 absentemque facis me sine fine reum.
 5 Quid ? quod sacra docens e fontibus eruta priscis
 6 Laminus Aonii fama decusque chori :
 7 talia jam dudum de me mendacia credit,
 8 denigrat et famam te monitore meam.
 9 Nunc feror infectus scelerato dogmate Zvingli,
 10 nunc laudare feror dogma Lutheri tuum.
 11 Nunc dignus vetita ut discedere cogar ab urbe,
 12 nunc alia poena dignior esse feror.
 13 Hei mihi quid merui ? Quem turpi crimine laesi ?
 14 Hoc mihi num peperit garrula lingua malum ?
 15 Si concepissem super addere Pelion Ossae,
 16 et contra summos bella movere Deos :
 17 non tua debebat sic me proscindere lingua,
 18 non odium tanti conciliare viri.
 19 Ista docent sacrae non te Pimplaeae sorores,
 20 Bellerophontei nec docet humor equi.
 21 Sed docet hoc rabidis serpentibus undique cinctus
 22 Cerberus aeratas qui cubat ante fores.
 23 Qui facit absenti rabida convicia lingua,
 24 nulla Medusaeo pocula fonte bibit.

25 Quod nisi destitues nostram post laedere famam,
26 non vates fatuus sed male sanus eris.

AD D. ANTONIUM ARESINGERUM, DE COMICO TRAGICO HIERONYMI ZIEGLERI.

ELEGIA VI.

P2_06 v.1 Cultor et antistes divini maxime verbi,
2 quod tulit e patris filius ipse sinu :
3 si quid habent, ut habent, caelestia dogmata veri,
4 auguror extremum non procul esse diem.
5 Aspicias ut teneat mentes pecunia voluptas,
6 aspicias ut spernant saecula nostra Deum.
7 Ipse licet prima repetas ab origine mundi,
8 quid fuerit sceleris, quid fueritque mali :
9 non tamen hos inter qui Christi nomina jactant,
10 plus sceleris videas, plus videasque mali
11 omnia sunt Veneris, luxus sunt omnia plena,
12 omnia sunt fucis, omnia plena dolis.
13 Non honor est recti, non est reverentia sacri,
14 non est sinceræ relligionis amor.
15 Qui jam divitiis, auro, gemmisque coruscant,
16 anteferunt verbo dona caduca dei.
17 Dives ubi fecit jacturam forte bonorum,
18 jamque suae sentit, tristia damna rei.
19 Heu mihi quam varios agitât sub corde dolores,
20 se cruciat finem maestus ad usque suum.
21 Quando sed admisit scelus, aut mala ficta patravit,
22 gaudet et nullus pectore maeror inest.
23 At quibus est ingens mundi data cura regendi,
24 hos vani praeceps nominis ardor agit.
25 Dum captant laudem populi, mundique favorem,
26 non ullam curam relligionis habent.
27 At quos pauperies, et res angustior angit,
28 hos tantum victus sollicitudo tenet.
29 Qui novat auxilio spinosum vomeris agrum,
30 is verbo praeferat quod modo purgat opus.
31 Saepe putat numquam se posse carere bubulco,
32 sed se sacrificio posse carere putat.
33 Scilicet haec prisca cecinerunt tempora vates,
34 plenum ubi caelesti numine pectus erat.
35 Signaque postremae dixerunt nuntia lucis,
36 sed melior mundus fit tamen inde nihil.
37 Ergo quando dei praecones atque ministri,
38 his similes edunt voce monente sonos :
39 qui cupis astrigeri conscendere limina caeli,
40 tristia nec Stygii regna subire lacus :
41 linque tuas curas, et vanos linque labores,
42 ad dominum posita quin properato mora.
43 Nam modo cum socia celebrat pia gaudia sponsa,
44 instruxit lautas omnibus ille dapes.
45 Quisque satis pulchro fuerit vestitus amictu,
46 si curas victus liquerit ipse sui.
47 Qui veniet, numquam deerit victusque domusque,

48 qui poterit domino fidere, dives erit.
 49 Sed qui non veniet, cenam non ille videbit,
 50 post erit admodum janua fulta sera.
 51 Hac, inquam, quando divino praedicat ore,
 52 commissa est animae cui pia cura tuae.
 53 Quisque venire negat quin odit quisque ministrum,
 54 et dantur celeri verba vehenda Noto.
 55 Hic causatur agrum, tauros causatur at ille,
 56 causatur sponsam protinus ille novam.
 57 Hinc dominus cenam renuit, caelesteque regnum,
 58 nos Phlegetontei poena manetque lacus.
 59 Quo ruitis ? Curas mortales sistite vestras,
 60 sola sit in domino spesque fidesque deo.
 61 Hoc vult, et simili monet hoc te summus Iesus,
 62 hoc pia caelesti littera voce jubet.
 63 Hanc dedit egregio illustratam carmine vocem,
 64 Zieglerus Clarii prodiga fama chori.
 65 Huic grex salvifici quem tangit gloria verbi,
 66 non ficto grates pectore semper ago.
 67 At tu quem Christus lacero praefecit ovili
 68 Antoni rebus portus et aura sacris :
 69 quod facis asserito divini dogmata verbi,
 70 et tibi sit Clarii sedula cura chori,
 71 ut quoque posteritas acquirat sera ministros,
 72 qui possint verbum rite docere dei.
 73 Ni juvenes reddent perdocta Lyaea peritos,
 74 non stabit verae relligionis honor.
 75 Sic tibi prolongent caelestia numina vitam,
 76 et dent virtuti tempora longa tuae.
 77 Sic pia posteritas cineri superaddat odores,
 78 et celebrent manes vota precesque tuos.

IN OFFICIA CICERONIS. ELEGIA VII.

P2_07 v.1 Qui colis Aoniumque nemus, fontesque sororum,
 2 albus ubi flavis Isara stridet aquis :
 3 si tua virtutis stimuli praecordia tangunt,
 4 gratia Cecropii si placet eloquii.
 5 Cras, ubi bis quartam signabit Delius horam,
 6 discendi cupidus sub mea tecta veni.
 7 Quod precor ut faustum cunctisque sit utile, libros
 8 incipiam "Auspiciis" enucleare bonis.
 9 Libros composuit quos rerum doctus ab usu,
 10 Romulei princeps Tullius eloquii.
 11 In quibus officium personae cuique docetur
 12 conveniens, juvenis sive sit illa senex.
 13 In quocumque loco, quave in regione moretur,
 14 hic quod devitet quodque sequatur erit.
 15 Hic quo sonte cadat quaevis apparet honestas,
 16 hic homini quae sint commoda cuncta vides.
 17 Et quibus in rebus sit disjungendus honesto
 18 usus, quo fieri debeat idque modo.
 19 Est ferus, et clausit circum praecordia ferrum,
 20 quem virtus nullo tangit honesta modo.

21 Hanc et in ignotis, nec non miramur in hoste
 22 haec homines, potius quam fera poena regit.
 23 Hos igitur libros, quisquis virtute tenetur,
 24 audiat, et vitae discat habere modum.
 25 Sive genas illi lanugo prima decoret,
 26 albas inficiat sive senecta comas.

POEMATUM MARTINI BALTICI MONACENSIS, AD D. GEORGIUM A GUMPENPERG,

LIBER TERTIUS.

HYMNUS DE D. SIMONE APOSTOLO,
 ET CONSOBRINO SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI.

P3_01 v.1 Nunc te, Dive, canam quoniam lux festa refulget,
 2 qua tibi sollemnes aris adolentur honores,
 3 quaque sacra quondam pro re, pro nomine Christi,
 4 effuso rubidam sparsisti sanguine terram.
 5 Heros eximie o stellantis splendor Olympi,
 6 quem constat quondam non expavisse Tyrannos
 7 terrificos, letum vultu, letum ore minantes,
 8 huc ades et tenues animo ne despice laudes.
 9 Patria seu Canaam tenet, aut colludis Olympo
 10 inter caelicolas terno cum fratre refulgens,
 11 aut ubi Threicius tibi servat Bosphorus ossa,
 12 aut ubi Panchaeis cumulatur honoribus ara.
 13 Aetherea de sede parens hominumque Deumque
 14 ferventes motus animo indidit, ossibus ignem
 15 caelestem implicuit, flammis sensere medullae
 16 per populos late divinum spargere verbum,
 17 herois late crucifixi spargere famam.
 18 Per loca senta situ, per aquas, perque invia saxa
 19 ore sonas, animo colis, et profiteris utroque
 20 de genitore Deum, aeterno de lumine lumen.
 21 Non movet insani violentia fervida Cauri,
 22 non Hyades pluviae, non dura pericula Ponti,
 23 non glacialis hiems, combustave solibus arva.
 24 O animum, quoties non est numerare, beatum,
 25 quem non argenti splendor, nec avara cupido,
 26 nec levis ambitio, nec gloria vana fefellit,
 27 qui non succubuit poenis cruciatus iniquis.
 28 Quem neque terrenus labor, aut malesuada voluptas
 29 fregit : tantum animo caelestia numina possunt,
 30 barbarica populi te circumstante corona,
 31 incipis in medio, immansuetaque pectora mulces.
 32 Nunc ortus hominum repetis, primumque creati

33 ut simus, vitiis atque omni labe vacantes,
34 fulserit in nobis ut summi patris imago.
35 Justi oculi, justus motus, mens vitaeque justa,
36 mox quibus heu tenebris Stygii fraus callida Ditis
37 nos immerserit, et primae scelus omne parentis
38 pandis, et a prima, quantum absint pectora, luce.
39 Pravi oculi, pravi motus, mens vitaeque prava,
40 ut nihil ante Deum, nisi foeda catharmata, simus,
41 ut nos jure suo Stygius sibi vendicet Orcus.
42 Et quae causa necis, peccati quae sit origo.
43 Nunc veluti nostrae sit motus clade ruinae,
44 duxerit, et grandes imo de pectore questus,
45 aeternus rerum sator, ac suprema potestas.
46 Nunc canis ut nimium nostras miserata ruinas
47 vera dei soboles caelo descenderit alto.
48 Intravitque sacram illibatae virginis alvum,
49 prodieritque infans mortales rursus in auras,
50 mentem animumque Deus, mortalis corpus et ossa.
51 Tum quae terdenis in terris egerit annis,
52 et quae pertulerit caeci ludibria regis.
53 Quomodo sit tandem suspensus stipite ab alto,
54 sparserit et fuso rubefactas sanguine cautes.
55 Nec non descendens Erebi in Spelaea profundi,
56 Tartareum quanto cum robore straverit hostem.
57 Quas illi vires, et qualia ademerit arma,
58 calcarit pedibus qualis balantia monstra
59 Eumenides, Parcas, Nemesinque, canemque trifaucem.
60 Quantam luctificis praedam deduxerit antris,
61 mox lucem repetens spoliis ut onustus opimis
62 aura sit nitido sublimi invectus Olympo.
63 Inde canis, tempus caelesti ex orbe vultum,
64 affore, quo terras in clara luce refulgens
65 deveniat, iudex aequus mortalibus actis,
66 hos vehat ad superos secum, sedesque beatas,
67 illos detrudat Stygiae ad fera regna paludis.
68 Talia mirantur Memphis regna canentem
69 Nilus ubi Pharium septemfluus influit aequor.
70 Obstupet ante alias tibi facta propinqua Cyrene,
71 et totis animis caelestia dogmata captat.
72 Quin stupet occiduis Maurus vicinior undis,
73 quemque solet facie fuscum ferre colorem,
74 non in mente tulit, livoremque eluit omnem.
75 Hoc quoque semoti longe fecere Britanni,
76 et quam lata patent Lybia florentia regna.
77 Haec loca praestigiis delusa fuere magorum,
78 qui conficta coli Divum simulacra jubebant,
79 haec adeo impietas multos venerata per annos
80 Eoi tractus urbes invaserat omnes.
81 Omnibus in templis radiantes aere columnas
82 decepti statuunt reges, et honoribus aureis
83 ornant, atque addunt Erythraei munera Ponti.
84 Has habitant caeco prognati Daemones Orco,
85 qui varia ludunt mortalia pectora fraude,
86 inque fidem cultumque sui perducere tentant.
87 Artibus utentes magicis mortalibus aegris
88 immittunt varias pestes, variosque dolores,

89 objiciunt somno terrentia visa, monentque,
90 si statuas orent ventura levamina morbi.
91 Illi procumbunt, fundunt gemitusque precesque
92 devotis animis, atque omnia posse fatentur.
93 Impia postquam animos vicere idola, quiescunt,
94 non homines morbis vexant, non somnia dira
95 offundunt oculis contenti mente recepta.
96 Et cum cessarunt affligere corpora poenis,
97 spectra Erebi, morbosque malos repulisse putantur.
98 Hinc homines augent cultus, fiducia crescit,
99 hinc non vulgus iners tantum, regesque ducesque
100 quin adsunt, flexoque genu venerantur et orant
101 corporis effetas vires, poscuntve suarum
102 eventus rerum, et fallacia dicta reportant.
103 Ergo ubi conspexit mortalia pectora Divus
104 turpe capi, Stygias et recta tendere ad oras :
105 non tulit, immensus mentem furor aestuat intra
106 confutare magos, fallacia pellere monstra.
107 Ergo aperit nodos et tecta sophismata, pandit
108 omnes praestigias et fallax omne cavillum,
109 extirpatque animis veterum simulacra deorum,
110 inserit et Christum, cui mandat fidere soli.
111 Daemones aufugiunt, idolaque fracta relinquunt,
112 convicti misero non absque pudore Sophistae
113 condere se latebris coguntur, teque vereri.
114 Sic ubi forte gregem latronum turba luporum
115 lanigerarum ovium solis deprendit in arvis,
116 quem secum in lucos et sub stabula alta ferarum
117 jam ducit, subito verumtamen inter agendum
118 pastor adest, animoque ingentes concipit iras,
119 jamque inclamat oves, et amico retrahit ore,
120 castigatque ferox latrones dira minatus.
121 Illi respiciunt, primumque obstare videntur,
122 mox timidam versi caudam flexere sub alvum,
123 et repetunt silvas, spelaeaque nota revisunt.
124 Dive decus caeli, dum bis tria lustra pererras
125 Barbaricas terras pandendo mystica sacra,
126 quid memorem tibi gestarum miracula rerum ?
127 Quot pedibus claudos erexeris ire jubendo ?
128 Quot dederis amissam aciem, viresque videndi ?
129 Quot data sit surdis felix audire facultas ?
130 Quot sint immotis resolutave vincula linguis ?
131 Quot post mortem obitam dederis vitalibus auris ?
132 Imponendo manus, in caelum oculosque levando.
133 Extollant alii quantum dicendo valebunt
134 heroas alios, cantentque ingentia facta.
135 Plurimaque affingant veris mendacia, nullum
136 convincent umquam miracula tanta dedisse.
137 Se procul abscondant, huc se metuantque referri
138 aut celebris Theseus, gestisne Erythraei heros,
139 aut quicumque fuere olim miracula mundi.
140 Non valet haec Erebi taeter praestare Tyrannus
141 quantumvis vafer, et quantumvis fraudis abundans,
142 scilicet ut pleno splendens argentea Phoebe
143 orbe, ubi nox rebus mortalibus incubat atra,
144 effulget late reliquis formosior astris,

145 non proprio, verum fraterno lumine fulgens :
146 sic fidei luce et ferventi in pectore Zelo
147 illius divos superabas temporis omnes,
148 clarior egregiis factis et clarior ausis,
149 quae tamen ex alto venit praestantia caelo.
150 Maxima pars populi Solyma vivebat in urbe,
151 exuerat falsum verso qui pectore dogma,
152 indueratque sacro lotus Baptismate Christum,
153 quem profitebatur mundi scelus omne piasse.
154 Huic ubi praefuerat terdenos circiter annos,
155 praesul Jacobus cognatus sanguine Christo,
156 justi vita dedit cui nomen duriter acta :
157 heu scelus infandum celso de culmine templi,
158 dum pia divini spargit jam semina verbi,
159 praecipitatur, et ex casu non mortuus illo
160 nodoso graviter circum cava tempora fuste
161 vapulat a tinctore fero, vitamque relinquit.
162 Jam duce sublato fremit impia turba, paratque
163 e populo penitus cultus excindere Christi.
164 Tollere de medio ferro minitatur et igni,
165 quotquot confidunt crucifixi in nomina Christi.
166 Sed tamen in medio servatur turba tumultu,
167 cujus firma subest animo fiducia Christi.
168 Quamvis luctetur multum, multumque laboret,
169 non tamen opprimitur divino numine tuta.
170 Urbs ultra placidas Jordanis dissita ripas
171 parva jacet, pellae nomen fecere priores.
172 Huc properant acti fatis, quicumque fatentur
173 se trahere a Christi divinum nomine nomen
174 hic nacti finem tantis requiemque periclis.
175 Sic ubi forte fretum nigrescit, et infima surgunt
176 stagna refusa vadis, navis subvertitur, omnis
177 excutitur populus, nando fiducia surgit :
178 non procul ex undis scopulus caput erigit alte,
179 hunc quicumque manu miseri prendere natantes
180 illis parta quies, illis in limine portus.
181 Parvo conveniunt post tempore, numine moti
182 aethereo, totum quos jusserat ire per orbem,
183 legatosque sui Christus testesque laboris :
184 et ne de Solymo pia gens erepta tumultum
185 perpetuo pastore suo turbata careret,
186 explicitis orant palmis ardentem ad astra,
187 ut deus infundat lucem, faciatque videre
188 quis nam sit Divos inter dignissimus omnes
189 commissum sacro populum sibi pascere verbo.
190 Dein te praecipua gestorum laude vigentem
191 Dive sacer, poscit cunctorum calculus idem,
192 omnibus idem animus poscit, vox omnibus una.
193 Tum quis apostolica redimitus tempora vitta
194 surrexit, divina tuas facundia laudes
195 explicuit, quantae tibi sint in pectore dotes,
196 quid sis caelicolum pro regis passus amore,
197 utque malis animus non umquam cesserit ullis,
198 quin audax ierit contra impia dogmata pugnans.
199 Ut reliquos divos inter sis dignior, esse
200 antistes populi, fratri succedere adempto.

201 Tu delegatum non aversatus honorem
202 suscipis, et propter commissae plebis amorem
203 nulla times animo caecae ludibria sortis,
204 quod tibi cumque mali obtigerit perferre paratus,
205 et veluti nido residens Aegyptius ales
206 caecorum nimio pullorum affectus amore
207 perfodit infixo sibi saucia pectora rostro,
208 ut conspergantur stillanti sanguine pulli,
209 et capiant visum, et dentur vitalibus auris :
210 sic, animo plane sententia fixe resedit,
211 si sit fors an opus, res aut urgeret iniqua
212 pro tibi subjecto grege ; communique salute
213 linquere sublatam lacerato corpore vitam.
214 Ergo fide mira, mira pietate tueris
215 subjectos populos, animis atque inseris aequum,
216 inseris et Christi pia vulnera et inde salutem
217 dependere mones sceleris purgamen et inde
218 te stupuere omnes divina voce loquentem,
219 atque animis omnes caelestia dicta reponunt.
220 Quotidie jungunt peregrinae foedera gentes,
221 pectora convertunt, augent numerumque piorum.
222 At dolet hoc cernens Erebi illaetabile regnum,
223 concilium horrendum vocat, et consensus initur
224 auctorem tantae insidiis evertere cladis.
225 Protinus ad saevum defertur fama tyrannum,
226 hic quemdam esse virum conjunctum sanguine Christo,
227 vertere et allectam gentili a dogmate plebem.
228 Is furit, adductumque monet precibusque minisque,
229 ut numquam doceat salvari in nomine Jesu.
230 Astat et usque deum constanti voce fatetur
231 acer, inexpugnabilis, imperterritus heros,
232 oblitus naturae hominis, pietatis et aequi.
233 Praeses tormenti tentat genus omne, feroque
234 immensoque putat se vincere posse dolore.
235 Ast ubi nec quicquam jam semet in omnia vertit
236 cogitat assimili Christo hunc occidere morte.
237 Ergo suspendit transverso stipite corpus.
238 Hic moribunde deum testaris voce suprema,
239 quem celer exutus mortali faece petisti,
240 venisti ad superos in clara luce refulgens,
241 hic capis aeterni semper pia gaudia regni,
242 sub pedibusque sitas terras miraris et astra.
243 Salve, grande decus divum, lux splendida caeli,
244 quodque facis, patrem pro nostra orato salute.
245 Et tu summe parens toto quem nil latet orbe,
246 aspice quam multae confundant undique gentes
247 relligionis opus, nunc hoc nunc creditur illud,
248 deque tuis verbis hominum concordia rara est.
249 Affer opem sacris concussis turbine rebus,
250 caelestemque infunde animis mortalibus ignem,
251 ut sacra flammati divorum exempla sequantur,
252 te dominum solum noscant, venerentur, adorent,
253 per varios casus, per cuncta pericula rerum.
254 Nec victi occumbant umquam precibusque minisque,
255 falsaque devitent fugientes dogmata semper.

DE NUPTIIS M. SIMONIS MINERVII PROPRAETORIS MONACENSIS EPITHALAMIUM.

P3_02 v.1 Qui superata fugis Lernaesi sidera Cancrī,
 2 et per Nemaeeum jam curris Apollo leonem,
 3 qui terras iterum magis aspicias orbe remoto,
 4 jamque diem minuis, tenebras et noctibus auges,
 5 surge age, surge precor nitido spectabilis ortu,
 6 Phoebe, fave, lux haec tua debita munera poscit.
 7 Nam pius ille tui primis venerator ab annis
 8 arte gravis Simon, nulli pietate secundus,
 9 cui celebri fecit nomen cum laude Minerva,
 10 quod colat ingenuas, virtutis ut organa, Musas,
 11 legitimo carpit Junonia munere dona.
 12 Virtutis matrona decus, pietatis imago,
 13 ducitur in thalamos Gertrudes casta pudicos.
 14 Frigida quae posuit viduo dum membra cubili,
 15 Herculei Phoebus quater ussit terga Leonis.
 16 Attamen ingenuo sic serviit illa pudori,
 17 ut non pulchra vagi sit castior uxor Ulyssis.
 18 Ex oculis pietas, ex ore modestia lucet.
 19 Quam bene consertis miscentur vitibus ulmi,
 20 quam bene cum simili vincitur turtur amore,
 21 tam bene Gertrudes sponso jungetur amanti.
 22 Nam par est aetas, et mens par una duobus,
 23 par virtus, par est sociae conjunctio vitae.
 24 Ille deus tantis ambos qui dotibus auxit,
 25 quem colitis vera juncti pietate fideque,
 26 conjugium vestrum praesenti numine firmet,
 27 vestraque caelesti jungat pectora flatu,
 28 unanimi ut Christum possitis noscere mente.
 29 Candida sic vestris contingent omnia taedis,
 30 sic non deerit Hymen, paribus, qui pectora, nodis,
 31 constringens una faciat duo corpora mente.
 32 Sed quid sponsa doles ? Gemitus quid fundis ab ore ?
 33 Fallor ? An aerumnas metuis, miserosque dolores,
 34 quos in conjugio sensisti saepe priori ?
 35 Parce timere tamen, castissima femina parce,
 36 quin potius quo fata vocant divina sequare,
 37 fata tibi dement, mittent quoscumque labores.
 38 Non homini mandata dei est contemnere tutum,
 39 ille ubi jam totum verbo fabricaverat orbem,
 40 continuo sanxit thalami sacra jura colendi.
 41 Undique formosi vernabat gratia mundi,
 42 Assyrios suavis tellus fundebat odores,
 43 aere ludebant volucres, in flumine pisces,
 44 laetaque ludebant teneris animalia terris.
 45 Tum Deus : "His, animal fingemus sanctius", inquit.
 46 Natus homo est lucens divinae mentis imago.
 47 Sed quid solus agat ? Toto non invenit orbe
 48 par animal, cum quo libeat producere vitam.
 49 Provida quod sensit divini cura parentis,
 50 auxiliumque tibi faciemus amabile dixit.
 51 Nec mora transumpsit costam de corpore Adami,
 52 cum prostrata, quies altissima, membra rigaret.

53 Est adducta viro, nomen Deus indidit Evae.
54 Hanc ubi vidit Adam miro est incensus amore,
55 non ita Trinacriae candescunt igne cavernae.
56 Haec habet ossa meo, clamat, de corpore sumpta,
57 haec habet e nostro non paulum corpore carnis.
58 Tum Deus unanimi duo sitis corpora mente :
59 "Crescite, ait, vestraque replete propagine mundum.
60 Omne quod aequor habet, quod terra, quod educat aer,
61 vestrum erit, imperio parebunt omnia vestro."
62 Dixit, et hinc tellus est prole repleta virili,
63 hinc sua tela Venus, gerit hinc sua tela Cupido,
64 legitimique vigent thalami, semperque vigeant,
65 donec adorabit Christi res publica nomen.
66 Tota licet Scythicas adducat Thracia vires,
67 Romuleaeque ferant undas ferrumque cohortes,
68 semper erunt sancita Deo connubia curae.
69 Vult Deus hunc ideo compleri fetibus orbem,
70 ut pia divini serventur semina verbi.
71 Nam si nulla foret sobolis generatio, Christi
72 mox langueret honos, languerent dogmata verbi.
73 Vult quoque ne illicitis maculent se pectora flammis,
74 excussisque dei donis Satanae organa fiant.
75 Nam cum divino nil pectore castius exstet,
76 est inimica Deo, fera puniturque libido.
77 Sic cecidit Priami regnum, sic Graia Corinthus,
78 et sic innumeri (quis posset ponere ?) reges.
79 Sic quondam totum superarunt aequora mundum.
80 Est quoque conjugium dulcissima amoris imago,
81 diligitur sponso quo sponsa Ecclesia Christo,
82 vir cupidi sentit vehementes pectoris aestus,
83 impertitque suae quae possidet omnia sponsae.
84 Si dolet illa, dolet, sin gaudet, gaudet et ille,
85 hanc juvat, hanc vestit, nutrit, fovet, atque tuetur.
86 Illa sed est semper variis obnoxia morbis,
87 menstrua nunc sentit, nunc hiscit pondere fetus,
88 jamque alios sentit, sine fine aliosque dolores,
89 et si quando velint sobolem rapuisse tyrannis,
90 se nequit invalidaque manu gladioque tueri.
91 Auxilio tantum sed nititur illa mariti,
92 hujus in amplexu recubat, trahit inde liquorem,
93 ut viridi sucos exhaurit vitis ab ulmo,
94 inde sui profert dulcissima pignora lecti.
95 Sic nostri Christus quoque flammam sentit amoris,
96 impertitque suae quoque maxima munera sponsae,
97 justitiam donat, donat pia gaudia vitae.
98 Hanc juvat, hanc vestit, nutrit, fovet, atque tuetur.
99 Est semper variis obnoxia turba procellis,
100 quae cupit ex animo dominum cognoscere Christum,
101 undique conveniunt terraque marique potentes,
102 impia crudeles coeunt in foedera reges,
103 et Christi jurant se velle occidere sponsam.
104 Probra, cruces varias, et mille pericula perfert.
105 Et si quando velint verbum rapuisse tyranni,
106 se nequit invalidaque manu, gladioque tueri.
107 Illa sed est Christo semper subjecta marito,
108 illius in verbo vivit, nam verba liquorem

II

MARTINI BALTICI MONACENSIS EPIGRAMMATUM LIBER,

AD D. CHRISTOPHORUM BRUNONEM, PRINCIPIS BAVARIAE CONSILIARIUM.

E_1 v.1 Qui mihi non dubii tribuis nova signa favoris
 2 juris et Aonii gloria Bruno chori :
 3 hunc tibi succincta tribuo brevitare libellum,
 4 ut tibi sint animi pignora certa mei.
 5 Dignus eras fateor cui munera magna darentur.
 6 Hoc ideo spretum non tibi munus erit.
 7 Qui quod habet donat, quod non habet et dare poscit.
 8 Cum quod habet, tum quod non habet ille dedit.

EUCLIO.

E_2 v.1 Hic ubi clamosa venduntur viscera vulgo,
 2 turbaque nunc illuc nunc ruit inde frequens :
 3 forte canum vidit dissectas copia carnes,
 4 et circum visos statque cupitque cibos.
 5 Nec mora, mox toto ruit ingens turba tumultu,
 6 atque avido frustum quilibet ore rapit.
 7 Sordidus eversas conspexerat Euclio carnes,
 8 hinc etiam (dicit) praeda petenda mihi est.
 9 Accurrensque cito (res risu digna) meatu,
 10 sublatas carnes congerit ille domum.
 11 Turpis erit tandem quamvis versutus avarus.
 12 Sordida caelari nescit avaritia.

CUPIDO κηριοκλέπτης

E_3 v.1 Advolat alveolis pharetratus forte Cupido,
 2 surripit et dulces, dulcior ipse, favos.
 3 En examen apum certatim spicula figit,
 4 quique alios laedit, saucius ipse fuit.
 5 Eheu sic brevis est, et quaeque dolenda voluptas,
 6 heu sequitur maestus gaudia summa dolor.

INSIGNIA ALPHONSI ARAGONUM REGIS, PELLICANUS.

E_4 v.1 En Aegyptiacus sua pectora transfodit ales,
 2 quo pullis reseret lumina clausa suis.
 3 Sic etiam facias, quisquis regnabis in orbe,
 4 si non officio vis minor esse tuo.
 5 Esse tuo vere credas sub pectore natos,
 6 hos qui sunt fidei credita turba tuae.

7 Illorumque tuae vitae, praeferto salutem,
8 praesentique juves, Codrus ut alter, ope.

IN PETRUM QUENDAM.

E_5 v.1 Non tu crede mihi de petra Petre vocaris,
2 sed tibi de levi pumice nomen inest.
3 Non solum sicco est levius tibi pumice pectus.
4 Verum etiam plumis, et sine fronde comis.

SINE CERERE ET BACCHO FRIGET VENUS.

E_6 v.1 Cum fugiunt homines Cererisque et dona Lyaei,
2 cum facibus languet Cypria Diva suis.
3 Nam jejuna fames molles depellit amores,
4 cassaque amore gerit pectora potor aquae.
5 At simul intrarunt distentum munera ventrem,
6 tunc animo blandus spicula mittit Amor.
7 I nunc et pueri celeres causare sagittas,
8 si nescis causa es vulneris ipse tui.

CANTUS SIRENUM.

E_7 v.1 Ecquis Sirenes Acheloo flumine natas
2 nescit ? In Ionio sunt ea monstra mari.
3 His litui cedant, cedat lyra, cedat Aedon,
4 tam solitae suaves voce ciere sonos.
5 Si tamen his aliquis dederit male providus aureis,
6 sopitus saevo mergitur ille freto.
7 Ut vafer illarum voces procul audit Ulysses,
8 quo prior haud ullus calliditate fuit.
9 Ipse agili sociis clausas cera obstruit aures,
10 cautus datque suas in fera vincla manus.
11 Sic age, quis quis amas sine crimine ducere vitam ;
12 sic vacuus vitiis quilibet esse potest.
13 In primis fuge blanditiis dare mollibus aures,
14 quas dat amatori turpis amica suo.
15 Decipiere miser sus et turpissima fies,
16 si tibi non plane perdita vita perit.
17 Quam bene dulcis avem modulando decipit auceps
18 tam bene ni caveas tu capiere miser.
19 Exemplum sollers astuti imiteris Ulysssei
20 si sapiens aures obstrue tutus eris.

DE FURE.

E_8 v.1 Vinctus ad interitum tortore trahente meabat,
2 qui tulerat tacitis noxia furta dolis.
3 Hunc lento monachus gressu comitatur euntem,
4 et revelat tali pectora maesta sono.
5 Eia age sis animo forti, nec defice fili,
6 est tibi apud Christum cena parata Deum.

7 Porrigit huic drachmam jam suspendendus, aitque
8 "I cenam pro me tu cape sancte pater."

IN PICTURAM TRIUM CHARITUM.

E_9 v.1 Quae ? Gemini Aglaidae nomen fecere parentes,
2 quae comites ? Nobis utraque vera soror.
3 Illa quidem Euphrosyne, sed dicitur illa Thalia,
4 sed charitum vulgo nomen habemus idem.
5 Cur ? Quia pro meritis grates retulisse monemus,
6 gratiaque in nostro corpore blanda sedet.
7 Cur binae aversae ? Cur haec mea lumina spectat ?
8 Uno pro merito reddere dupla monent.
9 Cur nudaae ? Puro tibi pectore dona dabuntur,
10 inque tuo nullus munere fucus erit :
11 connexae ? Paritur pensatum munere munus,
12 cur hilares ? Tales munera ferre decet.

IN QUENDAM QUI SUEVUS VOLEBAT APPELLARI, CUM ESSET BAVARUS.

E_10 v.1 Esse cupis Suevus, Boiorum natus in oris,
2 cur tamen hoc cupias, non tibi causa patet.
3 Ipse tamen dicam causam tibi Sueve latentem,
4 ingenium ranae est, ingenium suis est.
5 Cur ? Quia ranarum ducis de more choreas,
6 atque voras lautas, sus velut, ipse dapes.

IN EUNDEM.

E_11 v.1 Suevus eras nuper, nunc Suabius ipse vocaris.
2 Nomine naturae conveniente tuae.
3 Cum sis ruricolae inter prognatus agrestes.
4 Et multum valeas rusticitate tua :
5 non bene tam grossa vox Romula noscitur aure,
6 naturam capiunt barbara verba tuam.

DE USU SCHOLARUM.

E_12 v.1 Vis animos recte venerari, nosseque Christum
2 vis habitet nostro jusque piumque solo.
3 Nec vis et cultum decus et florere scholarum
4 hoc vis : e taxo dulcia mella pari.
5 Quin prius ad cultus confer tua dona scholarum,
6 si quod vis, fieri debet, et esse ratum.
7 Scilicet ex ludo succrescunt semina verbi,
8 scilicet ex ludo jusque piumque venit.

AD IOANNEM GEORGIUM ROMUNGIUM, CUM EI MORE CANONICORUM TONDERETUR BARBA.

E_13 v.1 Cum pubescentum caderet tibi barba genarum,
2 hos est Uranie voce locuta sonos.
3 Barba licet nostri de mento cedat alumni,
4 de studiis cedet non tamen ille bonis.

5 Huic inspiravi caelique deique calorem,
 6 editus ut primum vagiit ille puer.
 7 Hunc nullae poterunt juvenem seducere fraudes,
 8 a nostro ducet nec stola longa choro.

AD MARTINUM GUEBERUM ARCHIGRAMMATAEUM MONACENSEM.

E_14 v.1 Cultor et antistes doctorum magne virorum,
 2 et sacrosancti gloria prima fori :
 3 cum placeat culti tibi consuetudo Minervi,
 4 et mea cum non sit (dicis ut) aegra tibi :
 5 nobiscum ambobus virides invise Napaeas,
 6 invise et nitidi germina culta soli,
 7 sol ubi signabit primam declivior horam,
 8 accedam tecti limina sueta tui.
 9 Nos dryades, et hamadryades, nymphasque decentes,
 10 spectemus nuda ducere calce choros.
 11 Non animum decet assiduo insudare labori,
 12 alterna requie, quod caret, omne perit.

DE PUERO DEMOCLE, ET REGE DEMETRIO.

E_15 v.1 Democles nitidos exornat corporis artus,
 2 ingressus dulcis balnea sola puer :
 3 expiscatus adest cum rex Demetrius illum
 4 ad sera vi tota cogere stupra volens.
 5 En in ferventem sese puer inicit undam,
 6 defenditque sua morte pudicitiam.
 7 Ah rex quid summo vis respondere Tonanti
 8 poscetur manibus cum cruor iste tuis ?

AD MINERVIUM.

E_16 v.1 Quod domus haud longo tua me jam tempore vidit,
 2 assiduus cogit me labor esse domi.
 3 Ut prosim pueris noctesque diesque laboro,
 4 privatis scriptis vix datur hora meris.
 5 Et mihi siqua datur, sine fructu paene recedit
 6 ingenium torpet quippe labore diu.
 7 Sed tamen hoc paucis carmen conteximus horis,
 8 quod damus ingenio vir venerande tuo.
 9 Si vacat, evolvas, censuram exspectat amici
 10 totum iudicio statque caditque tuo.
 11 Si tibi vena placet, studium nostrumque probatur,
 12 talia scribendi non leve calcar erit.

DE ORATIONE GASPARIS MACRI.

E_17 v.1 Qualis inest densis fungorum copia silvis
 2 cum tepido sese vere remittit humus :

3 aut quod stridentes grilli fornacibus assunt,
 4 quam multa aut circum sordida musca volat :
 5 tanta modo prodit scriptorum copia, libros
 6 hac aetate novos angulus omnis habet.
 7 Scilicet ars tumida nescit sub mente latere
 8 quoslibet in praeceps nominis ardor agit.
 9 Hinc persaepe trahit damnum irreparabile lector,
 10 et pro sperato melle venena legit.
 11 Sic quoniam incautus transivit forte viator.
 12 Infixo pedibus vulnere virus habet.
 13 At tu sis lector cautus prudensque viator,
 14 praevisum fugias longius ipse malum.
 15 Cumque Macri teneat nil praeter commoda Musa,
 16 hanc ut damna fugis, sic bene lector ama.

IN LUCII FLORI HISTORIAS.

E_18 v.1 Tertia lux Jani cum Nonas ante propinquas,
 2 Eoo nitidum tollet ab orbe caput.
 3 Balticus excutiam quatuor dextro omine libros.
 4 Florus Romuleos queis celebravit avos.
 5 Florus, quo nemo celsorum gesta Quiritum,
 6 picta sub arguta plus brevitare dedit.
 7 Ergo dicata sacris studiosa juvena Minervae,
 8 Isara qua flavis moenia lambit aquis.
 9 Huc ades, et discas summorum gesta virorum,
 10 qui mundum sceptro supposuere suo.
 11 Quae si pernoscas, quod sese Graecia jactet
 12 non habet, his major laudibus esse nequit.
 13 Adde quod illius mendacia plurima veris
 14 sint data, pro vero res bene ficta stetit.
 15 Romulidum fidei plus condita gesta merentur,
 16 nam calamo fido sunt celebrata magis,
 17 hic igitur disces, quid turpe, quid utile, honestum,
 18 affectusque tuos quo moderere modo.
 19 Quae tibi priscorum tradunt monumenta sophorum,
 20 haec eadem doctis discis ab historiis.

IN COMICO TRAGICUM ZIEGLERI DE DECEM VIRGINIBUS.

E_19 v.1 Qui cupis astrigeri conscendere culmina caeli,
 2 nec Phlegetontei stagna subire lacus.
 3 Abjice abimmundo vitiosos pectore morbos,
 4 nec maneat Stygii foeda cloaca dei.
 5 Nam cum divino nil pectore purius exstet,
 6 vult deus innocua se quoque mente coli.
 7 Aspiciunt superi sinceram ante omnia mentem
 8 qua nisi purgata nemo beatus erit.
 9 Hoc est cur rutilis infusa Pallade lychnis
 10 excipiat sponsum turba serena Deum.
 11 Si non excipies hac sponsum lampade Christum,
 12 post erit opposita janua clausa sera.
 13 O dolor, o ignis, non ullo effabilis ore
 14 exuret pectus tum sine fine tuum.

15 Ab nimis est verum quod confinxere poetae,
 16 evenient fictis deteriora tibi.
 17 Sunt certe Eumenides, et habet tria Cerberus ora,
 18 nec reprobis Pluto fabula inanis erit.
 19 Haec tibi Ziegleri demonstrat gnava Camena,
 20 quae sua caelesti Nectare labra rigat.
 21 Ergo justitiam vitiis imitare relictis,
 22 ac sponsum pura suscipe mente tuum.

DE OBITU CHRISTOPHORI SCHAUMBERGERI SENATORIS VALLENSIS.

E_20 v.1 Hei mihi quam stolidi vana est fiducia mundi,
 2 ut nihil est firmum perpetuumque diu.
 3 Quam cito purpureos amittit campus honores,
 4 tam cito dispereunt quae valitura putas.
 5 Christophorus superos inopina morte reliquit.
 6 Quo nil res metuit publica nostra minus.
 7 Scilicet illius de vita maxima cunctis
 8 spes fuit, at cunctis spes ea vana fuit.
 9 Fautor crat justus, sed iniqui maximus osor,
 10 artis at in primis et pietatis amans.
 11 Cultores hederæ vates non sivit egentes
 12 hujus sensit opem quisquis egenus erat.
 13 Ergo pios manes venerare et lilia sparge.
 14 Nec necis immemori mente viator abi.

EPITAPHIUM BARBARAE UXORIS MELCHIORIS NEANDRI CIVIS VALLENSIS.
 IPSA MARITUM ALLOQUITUR.

E_21 v.1 Emeritam vidi numerosa prole senectam,
 2 matronae laudes obtinuique bonae.
 3 Illa volat totam non mortua fama per urbem,
 4 ossa tenet bustum spiritus astra tenet.
 5 Ipsa ago caelestes divis immixta choreas.
 6 Amplexuque fruor Christe vocate tuo.
 7 Siste precor lacrimas, quin si potes optime conjunx,
 8 donatis gaude tot mihi morte bonis.

EPITAPHIUM MARTINI CESII CULMBACENSIS.

E_22 v.1 Quem Phoebus stupuit citharaque et voce canentem,
 2 Cesium hac viridi contumulatur humo.
 3 Cum facili nuper pede duceret ille choreas,
 4 concelebrans festum pronuba Juno tuum.
 5 Proh scelus : et saltu sua laesit et ilia potu,
 6 clausit et a quarto fata suprema die.
 7 Haec sed ad astantes moriens est fatus amicos,
 8 quisquis es exemplo cautior esto mea.

AD TUMULUM SEHOFERORUM CIVIUM MONACENSIIUM.

E_23 v.1 Quisquis ad haec venies Parii monumenta sepulchri

2 Parrhasii pinxit quae aemula dextra senis :
 3 sparge pios latices, tumulo fer tura sabaea,
 4 atque pio sacras pectore funde preces.
 5 Namque hic prima jacet Sehoferae gloria gentis.
 6 Cumque suis natis conjuge cumque sua.
 7 O vir justitiae, fideique illustris imago,
 8 nec non antiquae simplicitatis honor.
 9 Pectore mansuetus, placidus sermone, verendus
 10 moribus at sanctis non minus ille fuit.
 11 Ossa tenet tumulus, mundum tenet ardua virtus,
 12 umbra sed in Christo sidera celsa tenet.

AD SIMONEM MINERVIUM.

E_24 v.1 Sincerissime iudicum Minervi,
 2 qui leges parili regis bilance,
 3 defendis nitido favore justos,
 4 injustos animo decente punis.
 5 Quo callet melius, foveatque nemo,
 6 sacros Castalidum lacus dearum
 7 facundi tibi Lemnii Camenas
 8 perlectas animo remitto grato.
 9 Felix o nimium ter o beatus
 10 vates, ingenio valens et arte.
 11 Hic manat genialis unda Phoebi
 12 et deficit nihil et nihil redundat.
 13 Heu sed quid juvat indoles ? Quid artes ?
 14 Quid cum Palladiis Apollo Musis ?
 15 Si non vita sit eruditioni
 16 conformis pietate, castitate.
 17 Summa sola Arete vehenda laude est.
 18 Haec vel sepositis juvat Camenis
 19 matronas, juvenes, viros senesque
 20 haec post funera dat perenne nomen.
 21 Haec doctis nisi sit comes deabus,
 22 nec laus, nec decus est, honorve Phoebo.
 23 Haec imis mihi fixa sub medullis
 24 sit donec calor hoc fovebit artus.
 25 Hoc est iudicium mihi et voluntas,
 26 antistes sacer, et decus dearum,
 27 quam demum placuisse tunc putabo
 28 nobis carmina facta quando mittes.
 29 Quae nuper mihi texuisse dicis.

OFFICIA SCHOLASTICIS PRAESCRIPTA.

E_25 v.1 Hanc quisquis juvenum domum frequentas
 2 dilectaeve mihi cupis Catervae,
 3 et membrum fieri et diu manere,
 4 haec serves animo tenace jussa.
 5 Sit Christum tibi nosse prima cura,
 6 ejus volve revolve sacra verba,
 7 mox virtutis iter sequare dextrum,
 8 spernaturque tibi levis voluptas,

9 mores compositi, graves, modesti,
10 sint in gestibus, inque sint loquendo.
11 Hinc fervor juvenile pectus urat
12 colendi studio novem Sorores.
13 Nec debes leviori amare flamma,
14 parentes animi tui magistros.
15 Hos ipsas adamare propter artes
16 est (credas) caput eruditionis.
17 Non tarde nimium scholam frequenta,
18 sed quo jussus es hoc adesto puncto,
19 numquam te decet emanere ludo,
20 ni fiat venia tui magistri.
21 In promptu tibi semper arma sunt,
22 cultelli, calami, parata charta.
23 His attentus in ora praelegentum
24 quod dignum fuerit nota notatu,
25 verbis utitor in schola nec ullis
26 ni sint Romuleae recepta linguae.
27 Pure dicere non tibi minori,
28 sit curae, solet esse quam Latine.
29 Non condiscipulis moveto rixas,
30 sal taetrum fugias nigrumque Momi.
31 Praeceptoribus haud rebellis esto.
32 Ad nutus sed eis minister esto.
33 Sic te denique comparato semper.
34 Scholam ne tua vita labe turpet.
35 Haec si praestiteris, nec es rebellis
36 te propter mihi laus erit meisque,
37 me propter tibi laus erit tuisque
38 hanc quisquis juvenum domum frequentas.